(8

SCHEDIASMA

DE

SACRIS PROCESSIONIBUS

AUCTORE

R. D. FRANCISCO BRAUCCIO

PAROCHO CAYVANENSI.

NEAPOLI CIↃIↃCCXXVII.

Apud Felicem Mosca.

Superiorum permissu.

Digitized by Google

Eminentiſs., ac Reverendiſs. Domino

D. NICO CARACCIOLO

S. R. E. CARDINALI

Epiſcopo Averſano.

OGITANTI mihi, Eminentiſſime Princeps, hoc *De Sacris Proceſſionibus Scbediaſma* in lucem

edere, non fuit diuturna opus deliberatione ; ut cujus potiſſimum nomini eſſet inſcribendum, præfinirem. Statim enim animum ſubiit Eminentia Vestra, quæ cùm nonnullis publicis, tùm privatis quibuſdam de cauſis, ſuo illud quodammodo jure ſibi vindicare videbatur. Occurrebat namque animo, atque adeo ante oculos obverſabatur præclara illa tua, ac divina pietas, qua ſacroſancta hujuſmodi munera, magnâ quidem hominum frequentia, ſed majori omnium admiratione, obire ſoles: ut nemo unquam ſacris te ſupplicationibus operam dare viderit, quin idem intimo quodam animi ſenſu, ad veræ Religionis ſtudium, omnemque Chriſtianæ pietatis cultum duci ſe, ac rapi, ſummopere perſentiret. Quibus rebus illud etiam accedit, quod neque affecta ætas, neque adverſa aliquando valetudo impedimento tibi fuerunt, quo minus, ad ſacros hoſce ritus, conſuetum

animi

animi alacritatem afferres. Cumque multi, tribus fermè ab hinc annis, cum Corporis Chriſti ſupplicatio eſſent inſtituenda, ut valetudini conſuleres, atque a ſubeundo labore abſtineres, ſummis peterent precibus; quòd a morbo nondum confirmatæ erant vires; ægrè impetratum eſt, ut medio tandem in itinere, Sacroſanctum illud Redemtionis noſtræ Pignus, alteri deferendum committeres. ac tùm ea fuit omnium communis fermè ſententia, te non humana, ſed divina quadam vi operari: in eo enim rerum ſtatu fieri non potuiſſe, ut ſine peculiari Divini Numinis, ſupraque naturæ ordinem opere iter illud perficeres. Editas verò in Diœceſana Synodo de Proceſſionibus Conſtitutiones Ecquis non admiretur? in iis enim, cùm multa magna, præclara, ac ſapientiæ plena conſtituta ſunt; tùm tria illa capita, quibus ſupplicationum, quæ in feſto, & per octavam Corpo-

ris Christi fieri solent, ratio, modusque præscribitur, eam præferunt pietatem, atque Ecclesiasticæ Disciplinæ sanctimoniam; ut nihil iis excellentius fieri, aut præclarius excogitari posse videatur. Sive enim cum aliorum Conciliorum Canonibus, sive cum optimorum virorum placitis, sive cum Summorum Pontificum decretis conferantur, mirum in modum cum illis conspirare, & convenire deprehenduntur. Harum profectò rerum cum mihi in mentem veniret, simul & illud cogitarem, quicquid ingenii in me est, secundum Deum, uni tibi deberi; a quo primùm in Seminaristarum Collegium adscitus, omnium studiorum nactus sum opportunitatem: deinde Græcæ Linguæ, Humaniorumque Literarum institutioni præfectus, ulterius progrediendi fuit occasio: hæc inquam cum cogitarem, hunc qualemcumque ex tempore susceptum de Processionibus laborem, veluti primum meo-

rum ſtudiorum fructum, optimo tibi jure conſecrandum eſſe, perſpiciebam. Quem gratum tibi fore confido, non quod illuſtre quidpiam, aut præclarum eruditionis ſpecimen præferat (id enim neque mihi ſumo, neque ab aliis contendo) ſed quia ità natura comparatum eſt, ut quas quiſque ſeverit fruges, multoque excoluerit labore, in iis colligendis, majori præ aliis perfundatur gaudio: dulcioreſque videantur, quamvis paulò acerbiores, domeſtici pomarii fructus, quam maturi medio in foro comparati.

Hoc autem Schediaſma tuum eſſe, atque in tuo fundo natum, nemo fanè ibit inficias, ſi animadverterit, omnem meorum ſtudiorum curriculum, in tuorum Clericorum Seminario fuiſſe confectum, quo in loco ut meliores literæ, ſcientiæque præclariſſimæ florerent, non labori unquam, non ſumtibus pepercisti ullis. Teſtantur id tot habiti variorum

argu-

argumentorum literarii conſeſſus, vel publicè quotannis; vel privatim ſingulis quibuſque menſibus, quibus intereſſe, cum tibi per paſtorale munus licuit, ſemper conſuevisti. Ibi verò alios laudando, alios præmiis alliciendo, omnibus ad præclara optimarum artium ſtudia capeſſenda animos faciebas. Teſtantur tot palam, magnaque Literatorum hominum frequentia propugnatæ, vel Philoſophicæ, vel Theologicæ theſes, ex quibus, qui eas defendendas ſuſciperet, ~~ſæpè diſceſſit, vel Eccleſiaſtici~~ alicujus Sacerdotii auctus reditibus, vel certè inſigni aliquo donatus munere; unde factum eſt, uti omnes, pro ſe quiſque, maximo animi ardore, atque alacritate, ſtudiis incumberent.

Teſtatur id quoque annuum illud examen, quod ea præcipuè de cauſa es ſolitus inſtituere, ut perſpecto cujuſque ingenio, atque in literis progreſſu, ad nobiliores provehantur Scho-

las

las : ex quo ſingulos in numerato habes, quo polleant ingenio ; quibus ſint imbuti literis ; quas fecerint progreſſiones , quæ ſpes de iis ſit in poſterum concipienda. Jam verò nullis te unquam peperciſſe ſumtibus , uti ſcientiæ tua in Diœceſi florerent , vel illud documento eſſe poterit , quòd , ne in Seminario Græcæ Linguæ cognitio deeſſet , accerſito perdocto ſanè Præceptore , per quinque annos , amplius quadraginta millia ſeſtertiùm de tuo exolviſti. Cujus certè immortalis beneficentiæ nunc fructum percipis ampliſſimum , cum Græcæ Literæ adeo ibi floreant , ut non aliunde invectæ , ſed eo in loco natæ videantur. Quod ſi , uti quidam nobilium familiarum Scriptores memoriæ prodiderunt , Caracciolorum Gens jam inde ab Imperatricis Irenæ temporibus variis inſignita Magiſtratibus , è Græcia poſtmodum Neapolitanum in Regnum traducta eſt, habent certè Græcæ Literæ cur meritò

de Te, Eminentiſs. Princeps, ut de ſuo Gentili glorientur; a quo Averſanum in Seminarium, indeque in univerſam Diœceſim inductæ, gentilitio quodam in eas ſtudio, excoluntur, nutriuntur, foventur. Quæ cum ità ſe habeant, in quem potius meæ ederem obſervantiæ teſtimonium, nominiſque celebrandi ſtudium, publico aliquo Monumento profiterer, quam erga eum, cui quicquid meliorum literarum in Seminario eſt, quicquid ſcientiarum Averſana in Diœceſi reperitur, omnes acceptum referendum eſſe affirmant? Fateor quidem hoc de Sacris Proceſſionibus Schediaſma non ejus eſſe dignitatis, ut Eminentiæ Veſtræ offerrî mereatur; ſed quemadmodum Sineta ille, ut eſt ab Æliano memoriæ proditum, cum in Artaxerſem incidiſſet, nec ad manum haberet, quod ei offerret (erat enim apud Perſas lex, uti, quicumque Regi obvius fieret, aliquo eum donaret munere) ad proximè

præ-

præterfluentem Cyrum fluvium ac currit, hauſtamque utraque vola aquam Regi obtulit, dicens: Nunc ego, Rex, prout poſſum, hac te dono, ne quantum in me eſt, ſine munere prætereas, quod ſi ad ſtationem tuam veneris, Ego, e Domo mea præcioſiſsima ferens te honorabo. Sic & Ego, hunc meorum ſtudiorum laborem, quem forte ob exortas de Proceſſionibus controverſias, tumultuario confectum opere, reliquis omnibus prævertere coactus ſum, tibi offero, Eminentiſſime Princeps, ea tantùm de cauſa, ne officio, ac potius pietati erga te meæ, deeſſe videar. Quod ſi tantum mihi otii ab Animarum negotio fuerit reliquum, ut Lucubrationes quaſdam ſanè non ineruditas propolire, aut certè iterum oculis perluſtrare queam, pro ingenii mei tenuitate, quantum literata ſuppellex patietur, offeram, propriumque dicabo. Accipe interim, Eminentiſſime Princeps, hoc voluntatis quidem in te

meæ, ac ſtudii pignus; grati verò animi non omnino quale velim, ſed quale poſſum hoc tempore argumentum: in quo ſi meam qualemcumque induſtriam probari tibi intellexero, ex hoc mihi animus ad cætera capeſſenda erigetur; Sin aliter evenire ſenſero, illud certè me conſecutum gaudebo maximè, quòd meæ, erga Eminentiam Veſtram obſervantiæ monumentum, hac publica teſtificatione conſignaverim. Vale. Idibus Decembris Anno Æræ Chriſtianæ 1727

E. V.

Humill., Obſequentiſs., Addictiſs. Servus
Franciſcus Brauccius.

AUCTOR

LECTORI BENEVOLO S.P.D.

SAcræ Proceſſiones, benevole Lector, non ultima pars ſunt Chriſtianæ Religionis: quæ, ſi ritè rectèque inſtituantur, mirum in modum Populorum animos ad Deum evehunt; ſin aliter, Divinum cultum traducunt potius, quàm augent. Quare, cum octo ferme ab hinc menſibus, propoſitum mihi fuiſſet aperire; quæ ratio moduſque ſit a doctiſſimis æque & pientiſſimis Auctoribus in publica Euchariſtiæ Supplicatione, præſcriptus; id ne jejunè exiliterque pertractaretur, nonnulla de origine Proceſſionum, & de antiqua earundem diſciplina, adnotavi. unde Libellus hic prodiit, qui ideo inſcriptus eſt Schediaſma *i. e.* Opus ex tempore confectum, *quia ſecundas curas non admiſit. Si quid tibi ex uſu eſt, utere: ſin minus, conſule æqui boni. Sanè quidem exiguus eſt Libellus, ſed tria ejus commoda accipe ex Martiale Lib. II. Epigr. I.*

At nunc ſuccincti quæ ſunt bona diſce libelli,
Hoc primum eſt, brevior quòd mihi charta perit.
Deinde, quòd hæc una peraget librarius hora,
Nec tantum nugis ſerviet ille meis.
Tertia res hæc eſt, quòd ſi cui forte legetur,
Sit licet uſque malus, non odioſus erit.

Si quæ Typographo obrepſerunt errata, eidem benignus Lector condonabit, corrigetque hoc pacto: *pag.* 5. *v.* 6. etiam *pag.* 40. *v.* 11. indeque. *pag.* 71. *v.* 3. cujus.

Reverendiſs. D. Canonicus D. Franciſcus Jorio revideat, & referat. Neap. 22. Septembris 1727.

ANTONIUS CANONICUS CASTELLI VIC.GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Deput.

EMINENTISSIME PRINCEPS

Libellum, cui Titulus *Schediaſma de Sacris Proceſſionibus* a doctiſſimo Viro Rev. D. Franciſco Brauccio Parocho Cayvanenſi conſcriptum juſſu E. T. legi, & in eo nihil prorsùs reperi, quod Chriſtianam fidem lædat, vel Chriſtianos mores corrumpat. Immò Auctor veterem, & novam Eccleſiæ diſciplinam hac in re ita piè, & accuratè enucleavit, ut minimè dubitem, quin ad fovendam pietatem, ſacroſque ritus illuſtrandos, quàm maximè conferre poſſit. Quapropter, ſi opinioni meæ Em. Tuæ auctoritas acceſſerit, typis mandandum cenſeo. Neapoli die 17. Decembris 1727.

Em. Tuæ

Obſequentiſſimus, & addictiſſimus Famulus.
Canonicus Franciſcus de Jorio.

Attenta ſupradicta relatione Imprimatur.
Neap. 17. Decembris 1727.

ANTONIUS CANONICUS CASTELLI VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

Rev.

Rev. Doctor D. Petrus de Turris, videat, & in scriptis referat.

MAZZACCARA REG. ULLOA REG.
PISACANE REG. VENTURA REG.

Provisum per S. Em. 5. Decembris 1727.

Mastellonus.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

VIdi Librum, cui Titulus *Schediasma de Sacris Processionibus*: ubi quia nihil occurrit Jura Majestatis perturbans, imò omnia collimant in sacram Ecclesiasticam eruditionem, & probos mores; ideo typis dari posse censeo, si ita videbitur.

Em. V.

Humill., & Addictiss. Servus
Petrus Antonius Turris.

Visa relatione imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

MAZZACCARA REG. ULLOA REG.
PISACANE REG. VENTURA REG.

Provisum per S. Em. 17. Decembris 1727.

Mastellonus.

SCHE-

SCHEDIASMA
DE SACRIS PROCESSIONIBUS.

CAPUT PRIMUM

De Processionum origine, & varia earum notione.

I. QUONIAM tota hæc de Processionibus futura est disputatio, placet in ipso operis ingressu ante definire quid sit Processio, quod ab aliis hujusce rei Scriptoribus prætermissum esse miror; siquidem omnis, quæ a ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci; ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur. Est igitur Processio religiosus quidam ritus, quo homines certo ordine, aut corporis habitu dispositi, incedunt, atque Deo, vel de acceptis beneficiis gratias agunt, vel pro jisdem obtinendis, supplicant. Ejus Origo ab insita pri-

mum humanis ſenſibus notione, qua cuncta fixo compoſita ordine ſuſpicimus, & magnificum quiddam ac divinum præ ſe ferre arbitramur, repetenda eſt. Etenim ratione utentium dumtaxat eſt, partium convenientiam ſentire, & cognoſcere quid ſit Ordo, auctore M. Tullio *Offic. I.* ubi inter alia, quæ hominibus a Natura tributa ſunt, id connumerat inquiens: *Nec verò illa parva vis Naturæ eſt, rationiſque, quod unum hoc animal ſentit, quid ſit Ordo, quid ſit quod deceat, in factis, dictiſque qui modus. itaque eorum ipſorum, quæ adſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulcritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit.* Hinc neſcio quid prudentiæ in iis animantibus ineſſe mortales ſibi perſuaſere, quæ certa lege aut incederent, aut aliud quippiam operarentur, eamque ob rem laudatur factis in libris formica, *Proverb.* VI. *com.* 6. ex eaque, ut prudentiam ediſcant, ſegnibus viris præcipitur: quam loquendi rationem ſua in ſcripta derivarunt libenter Sancti Patres, in his Cyrillus Hieroſolymitanus *Catheeh.* VI. *de Monarchia Dei*, Theodoretus *Ser. V. de Providentia*, S. Baſilius *Hom.* IX. *in Hexam.* & ex eo D. Ambroſius *Lib.* VI. *Hexam. cap.* 4. cujus adſcribam verba; *Exigua eſt formica, quæ majora ſuis audet viribus: neque ſervitio ad operan-*

randum cogitur, ſed ſponteæ propoſito proſpicientiæ, futura alimentorum ſubſidia ſibi præſtruit: & poſt pauca; nigro convectatur agmine præda per campos, ſerpunt ſemitæ comitatu vicinium, & quæ comprehendi anguſto ore non poſſunt, humeris grandia frumenta truduntur. ſpectat hæc Dominus meſſis, & erubeſcit tam parcæ piæ induſtriæ negare compendia. Similis eſt Virgilii illa deſcriptio Æneid. IV. 403.

Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Cum populant hyemis memores, tectoque reponunt,
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Convectant calle anguſto, pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt,
Caſtigantque moras, opere omnis ſemita fervet.

De eadem formicarum prudentia hæc habet Ælianus Lib. I. Ποικιλ: cap. 12. Ἔχουσι δὲ καὶ οἱ μύρμηκες, ὡς ἀκούω, μαντικῆς τινὰ αἴσθησιν· ὅταν γὰρ μέλλῃ λιμὸς ἔσεσθαι, δεινῶς εἰσὶ φιλόπονοι πρὸς τὸ θησαυρίσαι, καὶ ἑαυτοῖς ἀποταμιεύσασθαι τὰς τροφάς, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἀναλωμάτων, ὅσα μυρμήκων δεῖπνον ἔστιν. *Formicæ etiam, ſicut audio, quendam futurorum ſenſum habent, nam imminente fame mirum in modum ſunt laborioſæ ad comportandum victum, & reponendum ſibi frumentum, ac reliquos fructus, quibus veſcuntur formicæ.* quod etiam confirmat Ariſtoteles *Lib.* XI. *de Hiſtor. animalium*. unde Baynus explicans illud *Pro-*

vers. xxx. cap. 25. Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi: ait: in hac parte prudentiæ, quæ ad vitam necessaria comparantur, nemo se excusare potest quasi corpore imbecillo, & minus robusto: nemo enim formica minores habet vires, & tamen omnia vincit labor improbus, & in tempore susceptus.

II. Admirationi quoque locustarum semper turmæ fuerunt, quarum mentio fit Proverb. xxx. com. 27. Regem locusta non habet, & egreditur universa per turmas suas. Hebraicè מֶלֶךְ אֵין לָאַרְבֶּה וְיֹצֵא הַצִּין כֻּלּוֹ Melech èn laarbèh vajetsè hhòtsets cullò: Rex non est locustæ, & egredietur adunata omnis ipsa, ut vertit Xantes Pagninus. Arias Montanus verò: Et egredietur dimidians ipsum totum. Johannes Buxtorfius: Excidens universa ipsa; nimirùm herbas. Sed non est a vulgata recedendum, pro qua stat Aben Esra, qui vocem illam חוצין hhòtsets interpretatur מאסף מקבץ Megubbats meusaph: Congregata, collecta. i. e. turmatim procedens. Caldæus etiam: Congregantur omnes in unum. Eleganter in rem nostram O. LXX. Ἀβασίλευτον ἐστιν ἀκρὶς, καὶ ἐκστρατεύει κατ' ἔνος κελεύσματος αὐτῶν. Sine rege est locusta, & per-

& pergit in acie ab una jussione ordinatè. Symmachus: ὡς ψῆφις πᾶσα: *Tamquam calculus tota,* id est numero disposita, tam diligenter, & seriatim, quam solent numerarii calculi in abaco ordinari. Ad hasce locustarum turmas etiam respexit Divus Basilius *Homil.* VIII. *in Hexam.* de quibus ità scriptum reliquit: Πῶς σοὶ τὰς φοβερὰς ἐκστρατιὰς τῆς ἀκρίδος διηγήσωμαι, ἢ ὑπὸ ἑνὶ σωθήματι πᾶσα ἀρθεῖσα, καὶ στρατοπεδευομένη κατὰ τὸ πλάτος τῆς χώρας; οὐ πρόσθεν ἅπτεται τῶν καρπῶν, πρὶν ἐνδοθῆναι αὐτῇ τὸ θεῖον πρόσταγμα: *Quo pacto tibi militias exercitusque locustæ terribiles enarravero, quæ velut agmine facto sub una tessera, in sublime universa simul elata, castris toto latè positis agro, non antea sanè fructus depascitur, quam ipsi fuerit a Deo concessum, atque mandatum.*

III. Quid verò de admirando apum artificio, ac prudentia dicam? Quarum meminit D. Ambrosius *Lib.* v. *Hxam.* his verbis: *Cernas omnes certare de munere, alias invigilare, quærendo victui, alias sollicitam castris adhibere custodiam, alias futuros speculari imbres, & speculari cursus nubium, alias de floribus ceras fingere, alias infusum floribus rorem ore colligere.* Quò & Virgilii versus *Georgic.* IV. 156. pertinent.

Ven-

Venturæque hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt:
Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris....
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti,
Inque vicem speculantur aquas, & nubila Cœli,
Aut onera accipiunt venientum....

Et paulo post de ipsarum Rege ait: *v.* 215.

Ille operum custos; illum admirantur, & omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes:
Et sæpè attollunt humeris, & corpora bello
Objectant, pulcramque petunt per vulnera mortem.

De Gruum ordinibus, unde pythagoræam efficiunt literam nemo non meminit, iis Trojanorum acies comparat Homerus *Iliad.* γ.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κόσμηθεν ἅμ' ἡγεμόνεσσιν ἕκαστοι
Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὡς
Ἠΰτε περ κλαγγὴ γερανῶν πέλει οὐρανόθι πρό,
Αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ τοίγε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων.

Quo in loco ait, Trojanos adventantibus Græcis obvios iviſſe clamore, & clangore ſublato, atque inſtructa acie, non ſecus ac grues ſolent, dum ſidus hybernum fugientes, matutino tempore, cum ingenti clangore catervatim cœlo feruntur, atque ad Oceani litora ſe conferunt. Notanda hic eſt primi verſus vox illa κόσμηθεν *in ordinem digeſti ſunt*; ubi Didymus in *ſcholiis*

lis ait: Ἐκοσμήθησαν, διετάχθησαν, ὁ δ' τῦτο μεταφορὰ ἀπὸ τῦ κόσμυ, ὅθεν δὲ ἡ τῦ κοσμῦ τάξις, κόσμος ὑπὸ Πυθαγόρυ εἴρηται; i. e. κόσμηθεν *dorica dialecto positum est pro* ἐκοσμήθησαν, idque interpretatur διετάχθησαν *in ordinem digesti sunt*, est metaphora ab ordine sumta, unde & ipsius Mundi Ordo κόσμος a Pythagora dictus est. Vox enim κόσμος notat ornatum illum, qui a recta partium dispositione provenit, quapropter terrarum Orbis Græcè κόσμος, Latinè Mundus appellatus est; quæ voces propriè ornamentum significant; unde Mundus muliebris, pro mulierum ornamentis accipitur apud latinos Scriptores, vulgoque duo illi versus circumferuntur:

Non alio mundus debebat nomine dici,
Nomen ab ornatu convenienter habet.

Græcorum verò κόσμος; *ornamentum*, dat κοσμεῖν *ornare*. nec ornatum dumtaxat, sed & ordinem quoq; significat, cujus rei optimus auctor est Thucydides, cum *Lib.* 2. *in orat.* Phormionis sub finem vocat κόσμον ordinem illum, quo omnia ritè, rectèque, servatis legibus Militaribus, fiunt. & Dionysius Halicarnals: *Lib.* IV. de funere Servii Tullii loquens, pompam illam, qua reges efferri solent, κόσμον βασίλειον nuncupavit.

IV. Cœterum hujusmodi ratus, & constans rerum Ordo, qui in hac Universi fabrica cernitur,

adeo

adeo ad sui admirationem hominum olim animos convertit, ut mundum hunc, plerique ex Philosophis animantem, nonnulli Deum, arbitrarentur. Ordo etiam ille siderum, & constantia, sensum in illis esse, & intelligentiam, imo & Divinitatem, maxime declarare putabatur. Nostri verò, qui hæc omnia, a Deo optimo maximo creata, atque effecta esse, divinis ex literis acceperunt; ab excellenti, ac pulcerrimo rerum ordine: a constanti, & rato siderum cursu, quo in omni æternitate progressus, & regressus, motusque certos conservant, optimum, contra Atheos pro numinis existentia, desumserunt argumentum. ex quibus illud efficitur, insitam esse hominibus hanc præsentionem, notionemque, qua magnifici quippiam ac divini, in rebus constanti ordine dispositis, inesse existiment. Quapropter, cum divinum numen, ob excellentiam, præstantiamque, peculiari quodam modo, ac ratione a vulgo remota, colendum, atque adorandum probè nossent, eam inierunt ejus cultus viam, quam ab insita humanis sensibus notione, excellentiorem, admirabilioremque arbitrarentur. Hinc in omni antiquitate, apud cunctas ferè gentes, informatam quandam processionum rationem videmus. Neque hujusmodi ritus ad divinum dumtaxat colendum

Nu-

Numen adhibitus eſt; ſed, ut ſunt hominum ingenia, ad eos quoque traductus eſt, qui ob egregia in aliquam rempublicam collata beneficia, aut utilis cujuſpiam rei inventionem, proximè ad Deum accedere videbantur. quam etiam ob cauſam, aliquos divinitatem eſſe apud gentes adeptos, memoriæ proditum eſt. Triumphalis cujuſdam pompæ honor tributus eſt Joſepho poſt ſomniorum interpretationem, cum Pharaonis juſſu, curru vectus eſt per Ægypti Metropolim *Geneſ:* XLI. *com.* 43. *Fecitque* (Pharao) *eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone ut omnes coram eo genuflecterent*. in Hebræo eſt אַבְרֵךְ abhrech, *genuaflectenda eſſe*. Eſt modus infinitivus verbi בָּרַךְ *barach* in Conjugatione Hiphhhil cum א loco characteriſtici ה, ut tradunt Rabbi Jona, & Aben Esra, fitque manifeſtum ex ſequenti verbo וְנִתַּן *venathòn*, & *conſtituiſſe*. Nempe regius præco ante currum proclamabat flectenda eſſe genua omnibus coram Joſepho; Conſtitutum enim eum eſſe ſupremum Præfectum totius Ægypti. Eadem de Cauſa, ob rem nimirum feliciter geſtam, Triumphi honor Impera-

tori decernebatur apud Romanos, quem quidem Triumphum rectè dixeris profanam quandam, sed magnificentissimam Processionem fuisse ad agendas Diis gratias institutam, ut liquet ex formula solemnis ejus precationis, quam triumphans currum conscendens, concipiebat in hæc verba: *Dii nutu, & imperio quorum nata, & aucta est res Romana, eandem placati, propitiatique servate.* Tùm ex alia formula, quâ, cum ventum esset in capitolium, ita precabatur: *Gratias tibi Juppiter optume maxume, tibi Junoni Reginæ, & cæteris, hujus custodibus, habitatoribusque arcis, Diis, lubens, lætusque ago, Re Romana in hanc diem, & horam per manus, quod voluistis, meas, servata, bene gestaque, eandem, & servate, ut facitis, fovete, protegite propitiati, supplex oro.*

V. Porrò Deorum simulacra magna sæpè cum pompa esse perlata, cùm sacræ literæ, tùm Ethnicorum Historiæ testantur. Babylone eum morem extitisse testatur Jeremiæ Epistola, quæ extat Baruch VI. *com.* 3. his verbis: *Nunc autem videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, ostentantes metum gentibus.* Isidis simulacrum, ipsius Sacerdotes subjectis humeris circumferebant,

quod

quod significat Æl. Lampridius in Commodo, cum ait: *Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubin portaret*: Eodem pertinent Claudiani illi versus *de* IV. *Honorii Consulatu*,

... *Sic numina Memphis*
In vulgus proferre solet, penetralibus exit
Effigies, brevis illa quidem, sed plurimus infra
Liniger imposita suspirans veste Sacerdos
Testatus sudore Deum: Nilotica sistris
Ripa sonat, varioque modos Ægyptia ducit
Tibia, submissis admugit cornibus apis.

De hujusmodi quoque Pompa accipiendus Ovidius *Lib.* 2. *Amor. eleg.* 13. cum scribit:

Et comes in pompa corniger Apis eat.

Neque semper a Sacerdotibus effigies *Isidis* gestabatur, sed & ab asino interdum, quod testatur L. Apulejus *Lib.* VIII. *Milesiar.* & Gabrias *Fabula* VI. non obscurè prodit his Senariis.

ὥμοις ὄνος παρῆγεν ἀργυροῦν ξόανον
ὅπερ σωζόντων πᾶς τις οὖν ἐπροσκύνει
τύφῳ δ' ἐναρθεὶς, μὴ θέλων μένειν ὄνος
ἤκουσεν ὁ Θεός σου, τὸν θεὸν δ' ἄγεις.

Simulacrum Asellus bajulans argenteum,
Cum id transeuntes flexo adorarent genu,
Sui hoc honoris gratia fieri est ratus:
Jamque insolenti elatus arrogantia

Nolebat ambulare, donec aspero
Prolè dolatus fuste clunes, audiit:
O stulte non es tu Deus, sed fers Deum.

Apud Romanos in Circensi Pompa supertensas (Sacra erant vehicula) ferebantur Deorum simulacra. In sacris Ambarvalibus ter circum agros hostia gestabatur; hominesque cum jubilatu, & Choro sequebantur. Virgilius I. *Georgic.*

Terque novas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam Chorus, & socii comitantur ovantes:

Neque verò a rusticis solùm fiebat; sed Romani etiam Cives ex Romuli instituto, Urbem, & pomœrium, & quicquid intra quintum, & sextum lapidem continebatur, per duodecim fratres arvales cæsis victimis lustrabant. Auctor Plinius *Lib. XVII. cap.* 2. A. Gell. *Lib. VI. cap.* 7. Plutarchus in *Quæst. Rom. n.* 33. De hujusmodi lustratione verba facit Lucanus *Lib.* 1. *Pharsal.*

Mox jubet & totam pavidis a Civibus Urbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro,
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.

Hæc quidem exempli causa ex Ethnicorum superstitione desumpta sunt: neque verò cuncta persequi in animo est; cum hujusmodi solemnitates nemini non obviæ fiant Græcos,

La-

Latinoſve Scriptores percurrenti.

VI. Chriſtiana verò Religio Proceſſionum ritus ab Hebræis accepit, apud quos, a Moſis uſque temporibus, in more poſitum fuit Arcam fœderis, quam אֲרוֹן בְּרִית *Aron berith* dicunt, ſolemni cum pompa circumducere. nihil ea ſanctius, nihil religioſius habebatur: ſæpius a Levitis, quandoque a Sacerdotibus, numquam vero a profanis hominibus geſtabatur. Cum Hebræorum agmen incederet Arca præcedebat. Uti *Num. X. com.* 33. perſcriptum eſt; his verbis: *Profecti ſunt ergo de monte Domini viam trium dierum, Arcaque fœderis Domini præcedebat eos.* Ea enim nonniſi inſtructa erat Proceſſio, quandoquidem Filii Ruben, & Gad & dimidia tribus Manaſſe armati præcedebant filios Iſrael; & quadraginta pugnatorum millia per turmas, & cuneos incedebant, quod maximè cognoſcitur ex Joſue IV. *com.* 12. & 13. Proceſſionis quoque ſpecimen aliquod extat in ſolemni illa ejuſdem Arcæ circumductione, ad evertenda Hiericuntis mœnia, quando ſepties a Sacerdotibus cum buccinarum clangore, circumlata eſt: eamque Iſraëlitæ armati præcedebant; Ut Joſue VI. *com.* 8. memoriæ proditum eſt.

eſt. Eadem de Cauſa, cum Heli judicatum adminiſtraret in Iſraël, & bellum cum Philiſtæis parùm proſperè gereretur, placuit ad perterrefaciendos hoſtes Arcam ipſam è Silo, in Caſtra contra hoſtes adducere; meminerant enim Arcæ præſentiam fuiſſe olim Cauſam Triumphorum, uti ex eo etiam bello conſtat, quod contra Madianitas ſuſceptum eſt, ac feliciter geſtum; ad illud enim Moſes miſit duodecim millia expeditorum militum cum Phinees Eleazari Sacerdotis filio, cui vaſa ſancta, & tubas ad clangendum tradidit *Num.* xxxi. *com.* 6. ubi Hebræi apud Lyranum, Vatablum, Abulenſem, Oleaſtrum, alioſque recentiores Divinorum Librorum Explanatores, per Vaſa ſacra, Arcam fœderis intelligunt. Non minus illuſtre ejus rei deſumitur argumentum ex Victoria, quam Saul præſente Arca Domini de Philiſtæis reportavit 1. *Reg.* xiv. *com.* 18. facit quoque victoria illa, quam Joab tulit de Ammonitis 2. *Reg.* xii. *com.* 26. conſuetudo enim eorum temporum fuit ut in difficillimis quibuſque præliis Arca fœderis contra hoſtes admoveretur. Quod Athanaſius in Libro de Interpretatione Pſalmorum ad Marcellinum tradidit inquiens: Si *bellum populi ingrueret, Arca, in qua erant tabulæ legis,* an-

ante omnes præcedebat; hoc ſufficiebat illis pro quavis acie in ſubſidium, niſi in bajulis Arcæ, aut in populo aliquod ſcelus hæreret. Cui ex parte adſtipulatur Spencerus de *Leg. Hebr. Diſs. de Theocrat. Iud.*

VII. Sed ut eò redeat, unde diſceſſit oratio, omnium magnificentiſſima illa fuit proceſſio, qua Rex David Arcam fœderis ex ædibus Obededom Getthæi cùm ingenti omnium gratulatione, & plauſu in Civitatem ſuam traduxit II. Reg. VI. *com.* 12. I. *Paralip.* XV. *com.* 15. ubi magnificus illius pompæ apparatus luculenter deſcribitur: ubi ipſemet David regiam Clamydem exutus, atque Ephod lineo accinctus ſaltabat totis viribus ante Dominum, (tum enim publicæ ſaltationes pars erant religionis. Salianus *Tom.* III. *Annalium V. T.*, Kippingius *Rom. Antiq. Lib.* I. *cap.* X. *num.* 7.) Univerſuſque Iſrael deducebant Arcam fœderis Domini in Jubilo, & ſonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & cithara concrepantes. Præterea in tribus anni ſolemnitatibus Paſcha, Pentecoſte, & Feſto Tabernaculorum, Mares omnes ex omnibus Judææ finibus debebant in Urbem Hieruſalem convenire, ut ſacris intereſſent, quo quidem in itinere cum omnes è ſuis quiſque ſedi-

bus

bus turmatim procederent, quandam Proceſſionis ſpeciem præferebant; Hinc Jeremias inter alias devaſtatę per Caldęos Jeroſolymę calamitates, harum Proceſſionum intermiſſionem recenſet *Thren.* 1. *com.* 4. *Viæ Sion lugent, eò quod non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem*. Hebræus verò Codex ità: דַּרְכֵי צִיּוֹן אֲבֵלוֹת מִבְּלִי בָאֵי מוֹעֵד *darchè tsijòn abelòth mibbeli baè mohed*, ubi mira eſt verbi אָבַל *abal, lugere*, vis, cum enim inanimis rebus tribuitur, maximam rerum inopiam ſignificat, ità Iſaiæ XXIV. *com.* 7. אָבַל תִּירוֹשׁ *abal tiroſch, luget muſtum*, h. e. maxima eſt muſti inopia. lugebant igitur viæ, eo quod conſueta hominum frequentia deſtituebantur. Significantior quoque eſt in hæbræo vox מוֹעֵד *Mohed*, *ſolemnitatem*; notat enim ſolemnem conventum religionis, aut ſacrificii cauſa inſtitutum, vel ipſum ſacrificium, quod in hiſce conventibus fieri ſolebat, ut II. *Paralip.* III. *com.* 22. וַיֹּאכְלוּ אֶת חַמּוֹעֵד *vajiochelù & hhammohed*, *& comederunt ſolemnitatem*, h. e. *Sacrificia ſolemnitatis*, auctore R. Kimchi *in Libro Radicum*. Vetus quoque

eſt

eſt Hebræorum traditio, Pſalmum cxviii. compoſitum à Davide eſſe, ut procedentibus turmis per viam decantaretur, eaque de cauſa in illo ſæpiſſimè viæ mentionem fieri: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt. Utinam dirigantur viæ meæ, &c.* Et quia nonniſi memoriter a procedentibus decantari poterat, eo artificio elaboratum eſſe, ut ſervato Hebraici Alphabeti ordine, octoni verſus ab eadem litera inciperent: primi nimirùm octo ab א *Aleph*, octo ſequentes a ב *Beth*, atque ita deinceps, idque memoriæ cauſa. In feſto verò Tabernaculorum, Hebræi, ſeptem diebus, quotidie matutino tempore, confectos ex ramis arborum faſciculos geſtantes, altare circumibant, & הושיעה-נא *Hoſcìhbhà-nà* ingeminabant, i. e. *ſalvifica quæſo*, Pſalm. cxviii. *v.* 25. ex quo ritu poſteriores Hebræi ipſum feſtum, Hoſanna, & ipſos frondium faſciculos ex ſalice, Myrto, & palmis collectos, itidem Hoſanna nuncupavere: unde de hujuſmodi frondium faſciculis, ea vox accipienda eſt. *Matth.* xxi. *com.* 12. ubi Hebræorum pueri *Hoſanna filio David* acclamaverunt, quæ vox hactenus interpretibus

crucem fixit, atque ex ejus ritus ignoratione in varias abiere sententias.

VIII. Ex his igitur Judæorum ritibus suas Ecclesia Processiones mutuata est, etsi initio non ea pompa, qua nunc instituuntur, fuerint, propter crebras Ethnicorum persecutiones, quibus sæpè Christiani cogebantur, aut in Cœnaculis, aut in Cryptis, clausis januis, religionis munera obire: in sacra tamen Liturgia quandam processionis formam licet observare. Nam Pontifex è secretario, quod olim in inferiori Ecclesiæ parte esse solebat, per navim, mediumque Chorum, ad Altare procedebat. In Antiquis Romanis Ordinibus præscribitur, ut Acolytus deferat Crucem, & in Capsa a duobus Acolytis Eucharistia Episcopo deferatur ex præcedenti Sacrificio. Primus Ordo Romanus *num.* 8. Musæi Italici *Tom.* II. In officiorum libris scribit S. Ambrosius duos sibi fuisse Clericos haud probis moribus, quibus, ut secum ad sacra Missarum solemnia procederent, numquam permisit. S. Leo M. Epist. II. *cap.* 3. de Possidonio Alexandrinæ Ecclesiæ Presbytero ait: *Filius noster Possidonius Presbyter nostris Processionibus frequenter interfuit*. Et Liberatus Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconus in Nestoriæ-

Digitized by Google

næ, & Eutychianæ hæreſeos Breviario tradit, Acacium Conſtantinopolitanum Patriarcham curaſſe, uti Vitalis, & Miſenus Epiſcopi, Felicis III. Pontificis Legati, ſecum procederent. *cap.* 18. Ejus quoque Proceſſionis ſæpè meminit Gregorius Magnus. Quandoque verò coactus Populus, ad Majorem Eccleſiam unà cum Epiſcopo, & Clero, inde ad indictæ ſtationis locum, ordine incedebant: quo ex itinere paulatim Proceſſiones incrementum ſumſere, ut, quæ antea intra templorum parietes continebantur, liberius poſtea ex una ad aliam Eccleſiam progrederentur, quemadmodum ſcribit. Abbas Florius in Gallico Libello *de Morib.* Chriſtianorum *Par. III. cap.* 4.

IX. Ex hoc ad Eccleſiam procedendi more, factum poſtea eſt, ut quilibet ad Eccleſiam acceſſus, *Proceſſio* nuncuparetur; Quod oſtendit S. Hieronymus Epiſt. XXII. *cap.* 1. ad Euſtochium: *Rarus ſit egreſſus in publicum, martyres tibi quærantur in cubiculo tuo: numquam cauſa deerit procedendi, ſi ſemper, quando neceſſe eſt, proceſſura ſis.* Redarguit his verbis Virginem, quod ſæpius, quàm par eſſet, ad templa Martyrum ſe conferret: in ea deſiderat raros excurſus; cum procedendi, id eſt ad Eccleſiam adeun-

di, causa numquam deesse possit, si, quando necesse est, aut Verbi Dei audiendi, aut Eucharistiæ sumendæ gratia, semper id faciat. Ita quoque accipiendus est Tertullianus *Lib. II. ad Uxorem*; cum ait: *Si procedendum est, numquam magis familiæ occupatio obvenit*. Non enim ibi agit de solemnibus illis deambulationibus, seu instructis circuitionibus, lustrationibusve, quæ nostra memoria fiunt festi alicujus gratia, aut publicæ necessitatis causa; quas *Pompas*, *Supplicationes*, *Rogationes*, *Litanias*, & *Processiones* nuncupamus. hæ sanè Tertulliani tempore nondum erant in usu, cum Christiani occultis in locis sacra peragerent ; Ethnicorum metu. quare Tertullianus accipiendus est de accessu ad Ecclesiam, quemadmodum etiam in *Lib. de Cultu Feminarum cap.* 11. ubi ait: *Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica; aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut ei sermo administratur*; ubi *procedere*, est ad Ecclesiam accedere, uti expositit Menardus in notis ad *Sacrament. D. Gregorii*, *fol.* 178. Neque audiendus est Ludovicus a Cerda, dum *Adverss. cap.* IX. *num.* 5. illa Tertulliani verba, de Processionibus, ut nunc instituuntur, intelligit.

Si-

X. Significat etiam Proceſſio Chriſtianorum cœtum, ſive conventum, græcè σωάξιν: hoc autem tradit ſatis (ut mihi videtur) apertè *Synod. Laodic. can.* 17. cum inquit: *in Proceſſionibus pſalmos non connectere, id eſt ex diverſis verſibus, & ſenſibus libri unum canticum minimè conjungere, ſed ſingulorum pſalmorum ordinabiliter fieri lectionem*. Ubi Proceſſiones ſunt cœtus, & conventus Populi in Eccleſia, ut ex Græco textu perſpicuum eſt: quod non oportet, connectere pſalmos in conventibus. Ex quo patet, in illa veteri interpretatione Concilii *Proceſſiones* eſſe τὰς σωάξεις, ideſt *cœtus*, & *conventus*, quod etiam ex conſequentibus liquet: ſed ad unumquemque pſalmum, interjecto ſpatio, lectionem fieri. Lectiones vero in ipſa Eccleſia, non inter eundum, fiunt. Quare optimè Theodorus Balſamon totum Canonem explicat de Conventu Eccleſiaſtico, in quo divina officia peraguntur.

XI. Tandem Proceſſio ſignificat honorificum occurſum, quo quis cum honore excipitur; iſque honos Principibus, & Regibus plerumque impenditur. De eo ità Codinus *de Offic. Conſtantinop. cap.* 14. *Egreditur Protopapa ex Eccleſia cum Archidiacono, & Lectoribus quibuſdam*

buſdam, traditque Imperatori Lampada. De Imperatoribus Germaniæ idem docet Ditmarus *Lib. II. Hiſt.* hoc modo: *Namque ſolebat in ſolemnitatibus univerſis ad Veſperam, & ad Matutinum, atque ad Miſſam cum Proceſſione Epiſcoporum venerabili, deinde cæterorum ordine Clericorum cum Crucibus, Sanctorumque reliquiis, & thuribulis ad Eccleſiam uſque deduci.* Philippum Auguſtum ex ſacra expeditione revertentem Pariſios, ſolemniter a Clero, & populo cum proceſsione receptum fuiſſe, auctor eſt Florilegus anno MCXCII. Et Totilæ Gothorum Regi, expugnata Urbe, ad Templum D. Petri orationis cauſa properanti Pelagium Pontificem occurriſſe, poſterorum memoriæ commendavit Procopius *Lib. III. de Bello Gothor.* Quin etiam aliquando Duces, & Comites Proceſſionis honorem a Clericis, & Monachis exegiſſe, referunt Gregorius Thuron. *Lib. X. Hiſt. cap.* 9. Fulbertus *Epiſt. XXI.* ubi ſic: *Die proxima Comes Theobaldus reddit ſe in Monaſterium, recipi cum Proceſſione præmandat.* Præcipuè tamen hujuſmodi honor Epiſcopis præſtabatur, tam a Clericis, ut apud S. Auguſtinum *Epiſt.* CCIII. quàm a Monachis. Scribit enim Ekkerardus Junior de Caſibus Monaſterii S. Gal-

li *cap.* 1. *ad recipiendum Epiſcopum cum Evangelio, etiam ſi frater conſcriptus non fuerit, æquum eſſe ut pariter occurrant omnes*. Hoc Proceſſionis Obſequium, ſubjectionis ſuſpicionem ingerebat; unde illud Epiſcopi a Monachis inter jura Epiſcopalia plerumque vindicabant, eo argumento, ſuam juriſdictionem in Monachos, probantes; quod indicat Matthæus Pariſ. anno MCLXII. cum ſcribit: *Eodem anno Clarembaldus S. Auguſtini electus, benedictionem a Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo accipere quærebat, ſed in ſua Eccleſia, & ſine Proceſſione, ut ſuſpicio ſubjectionis in poſterum prorſus adempta eſſet.* Idem anno MCCXI. *Londinenſis Epiſcopus petiit ab Abbate Guillelmo, & Conventu Weſtmonaſterii Proceſſionem, procurationem, & omnimodam Juriſdictionem, propter quæ ad Papam fuit appellatum*: de hoc argumento videri poſſunt Boſquetus ad Innoc. *Lib.* IV. *Epiſt.* XI. Alteſerra de Ducibus *cap.* 17. In Epiſcoporum autem occurſu, procedebant cum thuribulo, & Cruce, & Sanctis Evangeliis, de quo ritu hæc habet Guntherus:

..... *Non eſt tractabile ſenſu,*
Eloquioque meo, quæ gaudia, quantus ab Urbe
Occurſus populi, quo ſcilicet ordine caſtus

An-

Antiſtes, lætuſque ſuo cum præſule Clerus,
Veſtibus ornati nitidis, pretioſa ferentes
Signa Crucis, textuſque ſacros, thuriſque vaporem
Prodierint.....

Et Sozomenus *Lib.* VIII. *Hiſtor. cap.* 14. *Joannes ingredientem totius Cleri Proceſſione veneratus eſt.*

XII. Præſtatur quoque Proceſſionis honor Patronis Eccleſiarum Fundatoribus, *Can. Piæ mentis*, ibi: *Præter Proceſſionis aditum, qui omni Chriſtiano debetur, nihil idem proprii juris habiturus.* & Can. *Frigentium*, ibi: *Ut nihil fundator ex hac Baſilica noverit vindicandum, niſi Proceſſionis aditum, qui Chriſtianis omnibus in commune debetur.* 16. Q. 7. & D. Gregorius Lib. XII. Epiſt. X. *Enunciaturus ex more nihil illic conditori juris alterius jam deberi, niſi Proceſſionis gratiam, quæ Chriſtianis omnibus in commune debetur.* Sed cujuſmodi fuerit is Proceſſionis aditus, quidque peculiare Patrono Pontifices concedant, cum dicant, hoc jus omnibus fidelibus eſſe commune, haud in proclivi eſt aperire. *Gloſſæ interpretatio in dicto Can. Piæ mentis*, ubi Proceſſionis verbum de jure præſentandi intelligit, vana eſt. nam temporibus Gelaſii, illius Canonis, auctoris, Patronis nondum facta erat.

gra-

gratia præſentandi presbyteros ad Eccleſias, in quibus juspatronatus habebant, uti doctè probat Conzalez *in cap. Præterea* 4. *de Jurepatron.* Et Pontifex ait illum Proceſſionis aditum eſſe Chriſtianis omnibus communem, igitur intelligi nequit de præſentandi jure, quod ſolius Patroni erat. Franciſcus Hallier. *de Sacr. Elect. ſect.* VIII. *art.* 2. §. 1. cenſet Proceſsionem accipi pro prærogativa honoris, qua notione uſus eſt Licinius Rufinus in *L. nam & Imperator* 41. *ff. de Donat. inter, &c. ut ad proceſſus viri uxor ei donare poterit, & in L. ſancimus* 4. *Cod. de Conſulibus* : ibi : *ita peracta, quam meruerint Proceſſione.... quod ſemel eis conſularis detulerit Proceſſio*; his legibus addi poteſt Novella cv. *Coll.* VIII. *cap.* 1. ibi: *Proceſſiones autem eorum eſſe volumus ſeptem*. Greci eo loco vocant παρόδους. Theophilus προσελεύσεις, ἐ Θέμ §. 46. *Inſtit. de Rer. diviſ.* quod perperam interpres *adventus* vertit, ut ibi notavit Gothofredus. Gelaſius igitur aditum Proceſſionis Patrono concedit, ideſt locum honoratiorem, & ſedem in Eccleſia, prærogativamque accedendi ad oblationem in Altari faciendam. Cironius verò in Paratitlis ad *Tit. de jurepatronatus* aditum Proceſſionis accipit pro acceſſu ad ſupplicationem

nem, seu solemnem Processionem, cui omnes Christiani miscebantur, sed in varios cœtus distributi, id quod his verbis non obscurè fert D. Gregor. *Lib.* II. *Epist.* 2. *erat litania alia Clericorum, alia Monachorum, alia virorum, alia Feminarum, alia Monialium, alia Infantium, & Pauperum*. Unde autumat Cironius, cum Patroni fundatores Ecclesiarum vellent peculiarem supplicationem, seu litaniam ab aliis separatam habere, eos in cæterorum fidelium litaniam redegisse Gelasium. sed neutra ex his interpretationibus arridet, quandoquidem temporibus Gelasii non in ea tranquillitate agebat Ecclesia, ut publicis Processionibus, & litaniis uti liceret; nec satis declaratur quid sibi Gelasius velit, dum ait, Patrono aditum Processionis concedi aliis fidelibus communem. quapropter nullum honoratiorem gradum, vel locum illi concedit, sed id tantum illi permittit, quod aliis fidelibus communiter conceditur. Quare iis omissis sententiis, autumo in eo canone Processionem sumi pro σωνάξει, & fidelium cætu, quod superius ostensum est, Gelasiumque Ecclesiæ Patrono Processionis aditum concessisse, qui omnibus Christianis erat communis, nimirùm, ut postquam Ecclesia fuerit ædificata, &

fun-

fundata, tùm primùm ab Episcopo sit dedicanda, qua dedicatione facta, Fundatori concedendus sit aditus Processionis, scilicet facultas accedendi ad Synaxim, & Missæ sacrificium audiendi in Ecclesia propriis in prædiis constructa, sicuti omnibus fidelibus conceditur aditus ad Ecclesias publicas ab Episcopis dedicatas, quemadmodum notat Franciscus Florens *Tit. de Antiquo jurepatronatus.* Fideles enim plerumque in suis possessionibus pro suæ familiæ commodo Ecclesias construebant, ut ibi a Presbytero Missæ sacrificium celebraretur.

CAPUT SECUNDUM

Quo tempore publicæ Processiones in Ecclesia cæperint, & de earum progressu.

I. Licet primis tribus Ecclesiæ seculis, sub Tyrannorum persecutionibus informatam quandam Processionum rationem Christiani usurpaverint, in sacra præsertim synaxi; id tamen intra domesticos parietes continebatur. Meminit cujusdam Litaniæ S. Basilius in literis ad Clerum Neocæsarienſis Ecclesiæ, ubi adversus Sabellianorum, & Marcellianorum calumnias, suæ Ec-

cleſiæ Pſalmodiam defendens ait ; *ſed iſta dicitis tempore Magni Gregorii* (Taumaturgi) *non fuiſſe; verum neque Litaniæ, quas vos in uſu habetis, illius tempore fuerunt, quod non reprehendendi gratia dixerim. Optarem enim vos omnes in lacrymis, & jugi pœnitentia vivere, quandoquidem & nos nihil aliud facimus, dempto eo quod non humanis verbis, quemadmodum vos ſoletis, ſed Oraculis ſpiritus Deum noſtrum placamus.* Quibus ex verbis docemur, Litanias jam tum uſurpatas fuiſſe, non in ſua Cæſarienſi dumtaxat Eccleſia, ſed in Neocæſarienſi: Inter earum Eccleſiarum Litanias hanc fuiſſe differentiam, quod Cæſarienſis Divinis Oraculis, Neocæſarienſis humanis uteretur verbis, formulis ſcilicet ab Epiſcopo aliquo compoſitis: Deinde Litanias fuiſſe pœnitentiæ, ac lacrymarum opera, & voces, quibus a Deo peccatorum veniam poſcebant. (Sunt enim Λιτανείαι ſupplices preces, & obſecrationes, dictæ ἀπὸ τῦ λιτανεύειν, *ſupplicare*. Homerus *Iliad.* ψ. *verſ.* 196.

Πολλὰ δὲ ἐπ' ἀπένθων χρυσέῳ δέπαϊ λιτάνευεν
Εἰλυθέμεν, ὄφρα τάχιστα πυρὶ φλεγέθοιατο νεκροί

Multis etiam libans aureo poculo, ſupplicavit
Ut venirent, quo citiſſimè igne comburerent cadaver.

Vel potius a λίτομαι, quod pro λίσσομαι uſurpatur

tur, idemque ſignificat. Homerus Ὀδυσ: ξ. *verſ.* 406.
Γρόρρων κὲν δ' ἤπειτα Διὶ Κρονίωνι λιτοίμην.

Libens deinde Jovi Saturnio ſupplicavi.

Et Idem Iliad: π. *verſ.* 47.
Οἳ αὐτῷ θανατόντε κακὸν, ἠ κῆρα λίσθαι.

Sibi ipſi mortemque malam, fatumque precari.) Poſt, ſub Magno Gregorio eas Neocæſarienſem Eccleſiam non habuiſſe. tùm ad extremum, nullam mentionem fieri de publicis Proceſſionibus, quare eas Litanias tantùm in Baſilicis cantatas fuiſſe opinor.

II. Reddita tandem per Conſtantinum Eccleſiæ pace, tùm Publicæ per Urbes ſupplicationes inſtitui cœpere. Ipſeque Conſtantinus, ut Auctor eſt Euſebius in illius Vita, *Lib.* IV. *cap.* 22. Paſchalis feſti pervigilium diurna clarius reddidit luce, accenſis tota Urbe per certos homines, quibus hoc negotium datum fuit, quam clariſſimis cereis candelis, lampadibuſque igneis omnes latebras colluſtrantibus; ut illa myſtica pernoctatio longè clarior ipſa Solis luce redderetur. Tum omnes Imperii Magnates accenſam facem geſtantes, Paſchalis noctis Proceſſionem magna cum pompa comitabantur, erantque hinc, & illinc in ædium ſolariis, feneſtriſque, quaeunque incedendum eſſet, paſſim diſpoſita lumi-

luminaria, quæ noctem illam die clariorem præstarent. Meminit ejus Processionis S. Gregorius Nazianzenus Orat. ad Populum Constantinopolitanum: *Præclara quidem nobis fuit hesterna facium, ac luminum gestatio, quam privatim juxta, ac publicè peregimus, omne genus hominum fermè, atque omnes magistratu, & dignitate insignes, largo igne noctem illustrantes, magnumque illud lumen referens, quod vel Cœlum, universum orbem, siderum suorum pulcritudine illustrans supernè nobis trajicit, vel supercæleste est cùm in Angelis, tum in ipsa Trinitate, a qua lumen omne productum ab invisibili lumine divisum atque honoratum.* De eadem Processione verba facit in Orat. ad Novam Dominicam: *Prima Dominica Encæniun erat, quæ sacratissimam illam noctem, & luminum gestationem excepit.* Mox alias Ecclesias ejus Processionis ritus pervasit, apud quas, Catechumenis sacro regenerationis Mysterio initiatis, quasi in Triumphum Christo Domino Mortis debellatori offerebantur, cujus processionis frequens est apud Patrescùm Græcos, tùm Latinos mentio.

III. Quædam etiam supplicationum vestigia extant apud S. Joannem Chrysostomum Orat. ad

Popu-

Populum Alexandrinum, ibi : *Invenimus vos ſolito alacriores, ac ferventiores; Cras una vobiſcum proficiſcar ad ſupplicationes.* In die quoque Pentecoſtes Proceſsio quædam inſtituebatur ex veteri Eccleſiæ inſtituto : Concilium Calletenſe apud Odericum Vitalem *Lib.* v. *Presbyteri ſemel in anno circa Pentecoſten cum Proceſſionibus ſuis ad majorem Eccleſiam veniant, & de ſingulis domibus Ceræ denarata, vel idem valens, ad illuminandam Eccleſiam altari offerant.* Ejus in Pentecoſte oblationis meminit Innocentius III. *Lib. II. Epiſt.* LII. *de privilegiis Sagienſis Eccleſiæ*: ibi : *Omnes oblationes, quæ ad manus Sacerdotum in Sagienſi Eccleſia offeruntur, & medietatem Pentecoſtes.* Proceſsio verò ea *Pentecoſtalis* appellatur in *cap. auditis de Præſcr.* ibi : *quia tamen interruptionem probavit circa Proceſſionem Pentecoſtalem.*

IV. Præterea Vetuſtiſsimus eſt in Eccleſia mos ille publicas ſupplicationes in Populi calamitatibus inſtituendi, quas Græci λιτανείας, Latini *Rogationes* jam dudum dixere. Concilium Aurelian. I. *Can.* 29., & 32. *Concil. Gerundenſe can.* 3. ibi : *item ſecundùm, Litaniæ faciendæ ſunt Kalendis Novembribus, ea tamen conditione ſervata, ut, ſi iiſdem diebus Dominica interceſſerit, in*

alia

alia hebdomada, ſecundum prioris abſtinentiæ obſervantiam, a quinta feria incipiantur, & in Sabbato, veſpere miſſa facta, finiantur: quibus tamen diebus a carnibus, & a vino abſtinendum decrevimus. Erant autem in duplici differentia, aliæ Imperatæ, aliæ Statæ: illæ ratione ingruentis periculi, atque urgentis neceſsitatis ad placandum Deum indicebantur, ut apud S. Gregorium *Indict.* II. *Epiſt.* LXXV I. *ad Caſtorem*, ubi mentio fit quatuor, aut quinque Litaniarum, quæ in Ravennatenſi Eccleſia indictæ fuerunt. Atque ipſemet Pontifex urgente aliqua neceſsitate non tantum Romanis, ſed exteris etiam Litanias indicebat, ut apparet ex *Lib.* IX. *Regeſt. Indict.* IV. *Epiſtol.* XLV.

V. Statæ Rogationes ſunt, quæ certis anni temporibus ab Univerſa Eccleſia obſervantur; eſtque apud Veteres duplicis hujuſmodi Litaniæ mentio, a quibus altera Major, altera Minor appellatur. Major Litania dicta eſt, non quod prius fuerit inſtituta, ſed quia Gregorius M. majori cum ſolemnitate eam inſtituit, ut ipſemet fatetur *Lib.* XII. *Regeſtr.* ubi ait: *Solemnitas annuæ devotionis nos fratres dilectiſſimi admonet, ut Litaniam, quæ major ab omnibus*

appel-

appellatur, ſollicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare. Ejus Origo traditur a Paulo Diacono *Lib. III. de Geſtis Longobardorum cap. II.* Gregorio Turonenſi *Lib. X. de Geſtis Francorum cap. I.* his verbis: *Et, cum tempore Childelberti Regis Galliæ, & Mauricii Imperatoris accidiſſet diluvium in finibus Venetiarum, quo non legitur poſt Noë tempora majus, ſecuta eſt atrox peſtis, in qua occubuit Pelagius Pontifex Gregorii Magni Prædeceſſor, qui ad placandum Deum inſtituit hujuſmodi Rogationem.*

VI. Minor verò Litania, ſeu Rogationes memorantur in Concilio Aurelianenſi I. *Can.* XXIX. apud Gratianum *de Conſecrat. Diſt. 3. can. 3. Rogationes, id eſt Litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita ut præmiſſum triduanum Jejunium in Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitate ſolvatur.* Has Rogationes jam obſoletas inſtauravit S. Mamercus Viennenſis Epiſcopus (*Auctore Gregorio Turonenſi Lib. II. cap.* 34.) ad expianda prodigia, cum terra moviſſet, cum Lupi, aliæque feræ per Urbes oberrarent, damnoque, & terrori mortalibus eſſent, ejus rei diſperſa per Provincias fama, cæteros Antiſtites invitavit, ut exemplum ſequerentur, adeo

ut in Italia quoque celebrarentur, & religiosè quidem.

Præter hæc Burcardus *Lib.* XIII. *cap.* 7. scribit: *Cum exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec hujus flagelli aliquod remedium inveniri posset, congregati traduntur Galliarum Episcopi apud Viennam Urbem, atque in commune statuerunt, ut triduanum Jejunium facerent. Cumque Dominus pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, ut per Galliarum provincias ante Ascensionis Domini diem, celebrarentur.* Initio igitur seculi VI. minores Litaniæ institutæ sunt. Complures aliæ fuerunt diversarum Ecclesiarum propriæ Processiones, quas omnes persequi non est propositæ Lucubrationis, ad ejus Processionis Originem, cujus causa susceptus hic labor est, properantis.

CAPUT TERTIUM

An Antiquis Ecclesiæ temporibus fuerit Eucharistia in supplicationibus circumlata.

I. QUÆ ab Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus, de Christianorum persecutionibus, & clandestinis eorum Mysteriis sub Ethnicorum Imperio hactenus memoriæ prodita sunt, satis superque declarant, iis temporibus nullam in Ecclesia obtinuisse publicam Eucharistiæ Processionem. Tùm enim Augustissimum hoc Sacramentum non nisi fidelibus incorruptis præditis moribus patebat. Judæi verò, Ethnici, Catechumeni, Pœnitentes, cæterumque profanum vulgus, ab hujus Mysterii intuitu arcebatur: nemini horum ad antelucanos illos cætus a Plinio *Libro* x. Epistolarum commemoratos, libet erat accessus. Hinc Gentium animos tanta incessit nostrorum Mysteriorum investigandi cupido, ut sæpissimè facto impetu, fractisque ædium foribus, Christianos sacris operantes opprimerent. *Quotidie obsidemur*, ait Tertullianus Apologetici *capite* 7. *quotidie prodimur, in ipsis plurimum cætibus, & congregationibus nostris opprimimur*. Audie-

rant in ſacra fidelium Synaxi, carnem Filii hominis manducari, ſanguinem bibi, Thyeſtæas arbitrabantur epulas: hinc in Chriſtianos orta de Infanticidio calumnia, de inceſtis commixtionibus; hinc tenebræ illæ caninæ excogitatæ, & alia objecta crimina, quæ fuſius in laudato Apologetico diluit Tertullianus. Omninò itaque Chriſtianorum ſacra tùm erant opertanea, eo quòd, cùm non ſine ludibrio, & cachinnis a naſutioribus Ethnicis excipierentur, ſatius viſum eſt, non dare Sanctum canibus, nec Margaritas projicere ante porcos, quam promiſcua operandi ratione ludibrium Gentibus debere. Quam ob rem Patres ab enunciandis quoque Myſteriis abſtinebant: eaque de cauſa, ſi quid eſſet ſecretioris diſciplinæ fidelibus ante profanum vulgus expediendum, ea utebantur formula: *ἴσασιν οἱ μεμυημένοι*, hoc eſt; *norunt initiati quod dicitur*. Unde illa eſt Julii Papæ ad Orientales Epiſcopos in Cauſa Athanaſii querela: *Quis non execretur ſub externo Judice præſentibus Catechumenis ..... quæſtionem de corpore, & Sanguine Chriſti, haberi?* Tharſitius Acolythus, ut eſt in Romano Martyrologio ad diem x. Auguſti adnotatum, cum Corporis Chriſti Sacramen-

ta portaret, atque a Paganis deprehenſus nol-let Myſteria prodere, tandiù ab illis mactatus eſt fuſtibus, & lapidibus, donec exhalaret ſpiritum, & revoluto ejus corpore, ſacrilegi diſcuſſores nihil Sacramentorum Chriſti in manibus, aut in veſtibus invenerunt.

II. Ea vigebat illis temporibus diſciplina, ut Chriſtiani non in conventibus ſolùm, poſt celebrata myſteria, ſed ſuis quoque in ædibus, Euchariſtia reficerentur. ejuſque rei teſtes ſunt locupletes. Tertullianus Libro II. *ad Uxorem cap.* 5. *non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciverit, panem non illum credit eſſe, qui dicitur?* Et S. Cyprianus Libro de Lapſis, ubi agit de femina quadam, quæ cum arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde exurgente, non auſa eſt aperire.

Ejus diſciplinæ cauſa fuit duplex; prima, quòd cum una olim miſſa dici per diem conſueſſet, nec omnes intereſſe poſſent, per Diaconos, & Acolythos Euchariſtia ad abſentes deferebatur: Quemadmodum docet Juſtinus *Apolog.* 2. *ad Antoninum*, & oſtendunt Acta Luciani Martyris apud Bollandum VII. *Januarii cap.* 4. Altera fuit cauſa, Perſecutiones,

qui-

quibus cùm non poſſent convenire, ne quis ſine communione decederet, aut ea multo tempore privaretur, unicuique domum deferenda diſpertiebatur, quod in Occidentali Eccleſia ad Seculum, uſque IX. obtinuit, in Orientali vero uſque ad X. quin etiam num perſeverat, ſi credimus Arcudio *Lib.* III. *de Concordia utriuſque Eccleſiæ cap.* 59.

III. Etsi igitur ex antiqua Eccleſiæ diſciplina, Euchariſtiæ intuitu, Infidelibus, Catechumenis, & Pœnitentibus eſſet interdictum, neque unquam in Baſilicis, aut Oratoriis, publicè ſpectanda proponeretur, longèque minus per Plateas circumferretur; hodiernæ tamen Proceſſiones nequaquam omni antiquitate deſtituuntur. Olim enim ad infirmos deferebatur non ſolum per Diaconos, alioſve Clericos, verùm etiam Laicos. Exemplum ſuppeditat, & Dionyſius Alexandrinus *Epiſt. ad Fabium Antiochenum apud Euſebium Lib.* IV. *Hiſtor. cap.* 44. *de Sene Serapione*, qui infirmus a puero Euchariſtiam recepit. Epiſcopi quoque ſibi invicem in ſignum concordiæ, & benevolentiæ, Euchariſtiam mittebant. S. Irenæus *Epiſt. ad Victorem Papam apud Euſebium Lib.* V. *Hiſtor. cap.* 24. *Presbyteri ante Soterem, qui Eccleſiæ,*

ſiæ, cui tu præes præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Teleſphorum, Xiſtum, Epiſcopis ad ſe accedentibus Euchariſtiam miſerunt. Græcè ἔπεμπον, hoc eſt, cum quadam pompa honorificè tranſmiſerunt. Quò referri poſſunt Siricii, & Melchiadis Pontificum decreta de mittendo fermento ad Titulos Urbis, & quæ ſcripſit Innocentius I. *Epiſt. ad Decentium cap. 5.* in hæc verba: *de fermento verò, quod die Dominico per Titulos mittimus, ſuperſiue nos conſulere voluiſti; cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra Civitatem ſint conſtitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipſa per plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, iccircò fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione maximè illa die non judicent ſeparatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda ſunt Sacramenta. Nec nos per Cœmeteria diverſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus: & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam.* Fateor quidem eam delationem non fuiſſe cum pompa, ut noſtra memoria fit; non iccircò tamen minùs ſunt a Lutherianis probandæ hujuſmodi Proceſſiones. *Neque* (ut Arcudii verbis utar,) *in omnibus antiquitas eſt ſequen-*

quendâ, multa nempè facta ſunt, & permiſſa tempore perſecutionum, quæ aliis ſeculis minùs conveniunt. Satis nobis fuerit in Antiqua Eccleſia, atque adeo non longè ab Apoſtolorum ætate, aliqua veſtigia delatæ Euchariſtiæ extitiſſe.

Et ſanè, Gregorii Magni temporibus in Gallicanis Eccleſiis Euchariſtiam, facta re divina, ſolemniter ad Epiſcopi Oratorium delatam fuiſſe uſque ad aliam inſequentem ſolemnitatem, indemque rurſus magno cum apparatu in templum reportatam, Literis commendavit Gregorius Turonenſis M. Gregorio συγχρόνῳ *Lib. I. de Gloria martyrum cap.* 86. ubi ad eam conſuetudinem reſpiciens; *Dies*, inquit, *Paſſionis erat Polycarpi Martyris magni, & in Ricomagenſi Vico Civitatis Arverniæ ejus ſolemnia celebrantur: lecta igitur paſſione cum reliquis lectionibus, quas canon Sacerdotalis invexit, tempus ad Sacrificium offerendum advenit; acceptaque turre Diaconus, in qua Myſterium Dominici corporis habebatur, ferre cæpit ad oſtium, ingreſſuſque templum ut eam altari ſuperponeret, elapſa de manu ejus ferebatur in aëra, & ſic ad ipſam aram accedens nunquam eam manus Diaconi potuit aſſequi, quod non aliæ*

actum

actum credimus de cauſa, niſi quòd pollutus erat in conſcientia; ſæpius enim ab eodem adulteria ferebantur admiſſa.

V. Paulò poſt Turonenſis Gregorii tempora apud Hiſpanos Chriſti Corpus publicè ab Epiſcopo circumgeſtatum fuiſſe in Martyrum ſolemnitatibus, diſcimus ex Bracharenſi Synodo habita circa annum DCLIV. in cujus Canone VI. hæc leguntur: *Bona quidem res eſt, divina Sacerdotibus contrectari Myſteria; ſed cavendum ne hoc ad ſuæ quiſque pravitatis uſum detorqueat; unde ſoli Deo de bona conſcientia placere debuerat: ut enim deteſtanda quorumdam Epiſcoporum præſumtio noſtro ſe cœtui intulit dirimenda, quoſdam ex iis agnovimus in ſolennitatibus Martyrum ad Eccleſiam progreſſuros reliquias collo ſuo imponere, ut majoris apud homines faſtus gloria intumeſcant, & quaſi ſint ipſi reliquiarum arca, Levitæ albis induti, in ſellulis eos deportant. Quæ deteſtanda præſumtio abrogari per omnia debet, ne ſub ſpecie ſanctitatis ſimulata vanitas ſola prævaleat, ſi modum cujuſque ordinis ſuum reverentia non agnoſcat; & ideo antiqua hac in parte, ſolemniſque conſuetudo ſervabitur, ut in feſtis quibuſque diebus, arcam Domini cum reliquiis*

non Epiſcopi, ſed Levitæ in humeris geſtent, quibus & in veteri lege onus idem impoſitum novimus eſſe præceptum. Quòd ſi Epiſcopus reliquias per ſe deportare elegerit, non a Diaconis ipſe vehatur in ſellula, ſed eo potius cum populo pedeſtri progreſſione, ad conventicula Sanctarum Eccleſiarum procedere, Sanctæ Dei reliquiæ per eundem Epiſcopum portabuntur. Quo ex Canone illud colligitur, nequaquam induci novam conſuetudinem, ſed antiquam, abuſu tamen correcto, confirmari: neque agi de Sanctorum reliquiis, ſed de Divinis Myſteriis, quæ Epiſcopi olim in Encolpio ad collum appenſa geſtabant. uti ex Philippopolitani Conventiculi lata in Marcellum Ancyræ Metropolitam ſententia patet, ibi: *Marcellus, quod cum lacrymis, & luctu eſſe dicendum, conſecratum Domini Corpus, ad Sacerdotum colla ſuſpenſum, palam, & publicè profanabat.* De S. Berino Anglorum Apoſtolo Bromptonus Abbas Tornalenſis ſuis in Chronicis tradit, ſemper ad Collum Euchariſtiam geſtaſſe, quam Honorius I. Archiepiſcopali incluſam pallio ei tranſmiſit. Romanis quoque Pontificibus iter facientibus Sacroſanctum Chriſti Corpus præferebatur. Unde Pius II.

in Commentariis, de ſe Mantuam petente, ſcribit: *his arcula jungebatur aurea, equo albo vecta, & multis luminaribus circumdata, in qua condita fuit Euchariſtia, ideſt, Hoſtia Salvatoris ſacrata, & ſericum ſuper umbraculum*. Alexandro VI. ad Varronis oppidum proficiſcenti, Sacroſancta Euchariſtia in equo albo præferebatur, ut auctor eſt Brocardus Diario II. De Clemente VII., & Carolo V. Imperatore, poſt auguſtam coronationem ſolemniter per Bononiam equitantibus, ſcribit Paulus Jovius: *Non multum inde ſuccedebat Euchariſtia ſub aurea umbella loculo cryſtallino incluſa, & ſella generoſi, ſed tamen pacati equi, ſuperimpoſita. Lucerna ingens ante, & circum dena funalia ferebantur*. Quinimò olim in illa ſolemni Proceſſione, qua Pontifex recens conſecratus ex Vaticana Baſilica ad Lateranenſem deducitur, præferebatur Euchariſtia, quos ritus fuſius perſequitur Angelus Rocca in Opuſculo de Sacroſancto Chriſti Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo. In hujuſmodi autem ſupplicationibus Euchariſtia a nemine conſpiciebatur, erat enim aut arcæ incluſa, aut in Encolpio.

CAPUT QUARTUM

Quo tempore publica Euchariſtiæ circumgeſtatio in Eccleſia obtinuerit.

I. QUod ad tempus attinet, quo in Eccleſia Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè per plateas ſolemni cum pompa circumferri, atque adeo ipſæ Proceſſiones, ſive Supplicationes cum Venerabili, paſſim uſurpari cæperint, incertum eſt; in diverſa abeuntibus vitis cæteroquin in re Eccleſiaſtica ſubactis. Illud ſatis conſtat, ſolemnes haſce cum Venerabili ſupplicationes numquam apud Græcos obtinuiſſe, neque hujus rei ulla etiam num extare veſtigia in eorum Ritualibus: excepto quod ſpecies aliqua Proceſſionis ab ipſis inſtituitur, illi non abſimilis, quæ apud nos fieri ſolet in die Paraſceves, dum Sacra Hoſtia pridie conſecrata, & in parvo Altari ad id peculiariter adornato, repoſita, Proceſſionaliter præcedentibus luminibus, & Clero populoque comitantibus, ad majus Altare deducitur, ubi ibi a Sacerdote Præſantificatorum Miſſam Celebrante, ſumatur.

II. Græci enim omnibus diebus Sabbati, &

Dominicis Quadrageſimæ, per Sacerdotes, aut Diaconos Proceſſionis in modum ferunt ipſa Præſanctificata, ideſt hoſtiam præconſecratam, ex parvo Altari, quod *Propoſitionis* vocant, ad ſummum Altare. *Præſanctificatum autem Myſterium* (ait Theodorus Balſamon ad *Can.* LII. Synodi Trullanæ) *incruentum Sacrificium non dicimus, ſed oblationem prius oblati, & perfecti Sacrificii, ſacrique Myſterii*. Qui ſanè Præſanctificatorum uſus, ſi non ab Apoſtolis, ab eorum certè diſcipulis eſt inſtitutus. ejus enim meminit Laodicena Synodus *Canone* XLIX. *Non oportet in Quadrageſima panem offerri, niſi Sabbato, & Dominica tantùm*. ubi verbum προσφέρειν *offerre* ſactificandi vim habet; uti in Apoſtolico *Canone* VIII. *Si quis Epiſcopus, vel ex Sacerdotali catalogo, facta oblatione non communicaverit*. ubi ἡ προσφορὰ *oblatio* Sacrificium ſignificat, eadem vocis notione uſus eſt Cornelius Papa apud Euſebium *Lib.* VI. *Hiſt. Eccl. cap.* 33. ubi de eo jurejurando verba faciens, quo Novatianus ſuos adigebat, *cum feciſſet*, ait, *oblationes, & ſingulis partem Sacramenti diſtribuiſſet..... jura mihi per hoc corpus, & hunc Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam me deſerturum.*

facit

facit etiam *Canon* LVIII. ejuſdem Laodicenæ Synodi, ubi Oblationis nomen pro Sacrificio uſurpatur: *non oportet in domibus oblationes ab Epiſcopis, ſive presbyteris fieri*; quem in Canonem Zonaras hanc edidit interpretationem: *Deo ſupplicare, precationibuſque intentos eſſe, ubicumque tum in domibus, tum in agris, tum in omni loco dominationis ejus, fidelibus conceſſum; oblationem verò, præterquam in templo, & altari peragi, nequaquam oportet; Proinde ea facultate pariter Epiſcopis, & Sacerdotibus interdictum eſſe Canon decernit*: Oblatio itaque, id eſt Incruentum Miſſæ Sacrificium in Quadrageſima, exceptis Sabbatis, & Dominicis, apud Græcos non offertur; excipiendus etiam eſt Sanctus Annunciationis dies, ex *Can.* LII. Synodi Trullanæ: *in omnibus Sanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annunciationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum Miniſterium.*

III. Cœterùm laudata Laodicena Synodus, cum de non offerendo in Quadrageſima pane loquitur, non videtur novum cudere decretum, ſed veterem ritum confirmare: Qui fortè ritus ex quotidiana eunctorum fidelium communione

ne

ne profectus eſt. Cum enim jejuniorum diebus omnes fideles communicarent, neque tamen Sacrificium offerri liceret (Sacrificium namque gaudii, & lætitiæ argumentum, mæſtis ac luctuoſis jejunii diebus minimè convenire, arbitrabantur.) Veteres illi, ut communicaturos aliqua ſaltem Sacrificii ſpecie detinerent, atque ad Deum piè ritèque colendum eorum animos ardentius excitarent, Liturgicas recitabant preces; ex eoque ritu Præſanctificatorum Miſſa profecta eſt, in qua, dicta ſuperiùs proceſſionis forma inſtituebatur.

IV. Apud Latinos verò ſolemnes Euchariſtiæ Proceſſiones, quidam ab Hereſiarchæ Berengarii temporibus incæpiſſe arbitrantur, in his Gregorius de Valentia. Sed quia hujuſmodi opinio nullis nixa eſt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis, meritò à naſutioribus Criticis explo-ditur. Alii Urbano IV. attribuunt, quod probare contendit Chriſtianus Lupus in Diſertatione *de Sacris Proceſſionibus cap.* 3. Sed, quæ ab eo in medium proferuntur documenta, ad rem non pertinent, cum de inſtituti feſti ſolemnitate in iis tantum agatur; Urbanus enim IV. ſub initium Seculi XIII. ſolemnitatem Corporis Chriſti feria V. poſt octavam Pentecoſtes celebran-

brandam curavit, edita ſuper ea re peculiari bulla, quæ incipit *tranſiturus*, quam Joannes XXII. ſub nomine Clementis VI. in Vienneníi Concilio inſeruit in Clementina Unica *de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum*. Quæ ſane in Bulla nulla hujuſce Proceſſionis occurrit mentio, nullum extat veſtigium. nam cum peculiares indulgentias jis concedat, qui vel uni ex canonicis Horis, quas ſingillatim recenſet, interfuerint; nullas tamen impertitur iis, qui Proceſſioni interveuerint. indicium ſane haud obſcurum, eo tempore hujuſmodi Proceſſionem nondum obtinuiſſe, alias enim cur eam ſolemnitatis partem Papalis veniæ beneficio afficiendam non duxiſſet, quando ex ea nonnihil magnificentiæ, atque ornamenti ad feſti ſolemnitatem accedit?

V. Deinde S. Thomas, qui Urbani IV. juſſu SS. Sacramenti Officium compoſuiſſe fertur, ne verbum quidem unum de Proceſſione facit. cumque de omnibus Divinarum precum partibus diſſerat, Proceſſionem haudquamquam præteriiſſet, ſi tum fuiſſet inſtituta. Imò Auctores, qui de inſtituta ab Urbano Corporis Chriſti ſolemnitate ſcripſerunt, atque ſub idem tempus floruere, nullam Proceſſionis

men-

mentionem faciunt, uti & ipſemet Urbanus in Bulla, quæ incipit *Scimus*, inſcripta Evæ recluſæ S. Martini Leodienſis, ſcribit quidem ſe Corporis Chriſti feſtivitatem inſtituiſſe, ſed de Proceſſione ſilet omninò. extat ea Bulla *Tomo II. Conciliorum col.* 817. ex quo ſatis appareret Inſtitutionem Proceſſionis Urbano IV. adſcribi non poſſe; illamque per id tempus nondum ejus ſolemnitatis partem conſtituiſſe.

V. Quamobrem veriſimile eſt hujuſmodi Proceſſiones Seculo XIV. ſenſim apud aliquas Eccleſias, inſtitutas fuiſſe; ac maturiùs in aliis, in quibuſdam tardius, ad auguſtiorem feſti ſolemnitatem obtinuiſſe, in Concilio namque Senonenſi habito anno MCCCXX. ita perſcriptum legimus. *Circa verò Proceſſionem ſolemnem, quæ dicta quinta feria fit a Clero, & Populo, in delatione dicti Sacramenti his diebus cum quodammodo divina inſpiratione introducta videatur, nihil quoad præſens injungimus, devotioni Cleri, & Populi relinquentes.* Quibus ex verbis evidens eſt in Senonenſi Eccleſia, ea tempeſtate Solemnem Venerabilis Sacramenti Proceſſionem uſurpatam fuiſſe; Eandemque in Tornacenſi Eccleſia Anno MCCCXXV. notam fuiſſe ex acta capitulari dictæ Eccleſiæ oſten-

dit Joannes Baptiſta Thiers Diſſertatione in Expoſitione Venerabilis *Lib. II. cap.* 1. uti & in Eccleſia Carnotenſi Anno MCCCXXX. ex quadam charta ejuſdem Eccleſiæ ibidem probat.

VI. In Italia verò ſeriùs cæpit ejus Proceſſionis uſus, & fortaſſe ex Urbe Papia ad alias eſt invectus. Scribit enim Donatus Boſſius Juriſconſultus Mediolanenſis in Chronico ad Annum MCDXCII. in hæc verba: *Die Jovis 29. Maii anno* MCDIV. *Corpus Chriſti ſolemniter, ut poſtea ſactitatum eſt, per Papiam Urbem circumferri cæptum fuit, decem plùs minùs centum annis ante Concilium Conſtantienſe, in quo Creatus Pontifex Martinus V. indulgentias ab Urbano, pro feſto datas duplicans, alias etiam addidit ejus feſti vigiliam jejunantibus, & in feſto communicantibus, & ſequentibus eodem die Sacramentum, & quando ad infirmum defertur; quas rurſus Eugenius IV. poſt duplicavit.*

VII. Verum enim verò Proceſsionem cum Venerabili ſub initium Seculi XV. fuiſſe uſitatam ſatis innuit Martinus V. in Bulla, quæ incipit *Ineffabile* 12. in *Bull. Rom.* poſt duplicatas enim indulgentias, quas Urbanus IV. dederat iis, qui officio Divino in feſto Corporis Chriſti intereſſent, ſubiicit: *illis præterea, qui Proceſſiones, in quibus*

ipſum

ipſum vivificum Sacramentum dicto feſto juxta præfatarum Eccleſiarum ritus defertur, continuò ſecuti fuerint, centum dies ſingulis annis de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Ac Tridentina Synodus, de hoc Proceſſionum uſu jam tum in Latina Eccleſiâ inducto, agens, *Seſſione XIII. cap. 5. de Euchariſtia*, declarat: *piè & religioſè admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis, peculiari quodam, & feſto die, præcelſum hoc, & Venerabile Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolemnitate celebraretur, atque in Proceſſionibus reverenter, & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur.* Quibus verbis ſuperbum Calvinianorum damnat faſtidium, quibus Euchariſtiæ per plateas circumgeſtatio ſtomachum movebat. Calvinus enim, qui tamquam nitedula vepreculis extracta, omnes Romanæ Eccleſiæ Ritus conatus eſt arrodere, hanc quoque ſupplicationem calumniatur *Lib. IV. Inſtit. cap. 17. §. 37.* his verbis: *Nunc verò quo prætextu ſe Chriſtum in illo pane honorare jactant, cum nullam habeant hujus rei promiſſionem? Conſecrant hoſtiam* (ut vocant) *quam circumferant in pompa, quam ſpectandam, colendam, invocan-*

dam ſolemni ſpectaculo exhibeant.

VIII. Num verò in ipſis Proceſſionum initiis Euchariſtia ita fuerit circumlata, quemadmodum noſtra memoria fit, an autem, ut in die Paraſceves fieri ſolet, velo aliquo tecta, nondum eſt ſatis exploratum. Veriſimiliùs credit Joannes Baptiſta Thiers in laudata Diſſertatione, ſemper fuiſſe velo tectam, atque ex primævo illo uſu etiam num quibuſdam in Eccleſiis aliquas ſupereſſe Proceſſiones, in quibus Sacramentum contectum circumferatur. Quin aſſerit necdum cxx. elapſos eſſe annos, ex quo in omnibus Galliæ Eccleſiis etiam in ſolemni Corporis Chriſti Proceſſione, Euchariſtia aſpectabilem in modum ſit delata. Et ſanè exploratum videtur, Sacramentum non fuiſſe viſibiliter delatum ante uſum Oſtenſoriorum; hæc verò multò recentiora eſſe ipſis Proceſſionibus, nemo inficiatur; cum nulla eorum mentio reperiatur, neque in Conciliis, neque in ullis Pontificum, aut Epiſcoporum decretis, ante annum MCDLII., quo tempore Colonienſe Concilium habitum eſt, in quo ſtatuitur: *quod deinceps ipſum Sanctiſſimum Sacramentum nullatenus viſibiliter in quibuſcumque monſtrantiis ponatur, aut deferatur, niſi in Sanctiſſimo feſto*

Cor-

Corporis Chriſti cum ſuis Octávis, ſemel in anno in qualibet Civitate, aut Oppido, ſeu Parochia, vel ex ſingulari indulto Ordinarii; aut alias pro pace, aut alia neceſſitate imminente, & indiſpoſitione rempublicam prægravante. Igitur Seculo XV. Oſtenſoriorum, ſive Monſtrantiarum uſus cepit, atque in iis Sacramentum collocari, & apertè in Proceſſionibus deferri.

CAPUT QUINTUM

An ritè Euchariſtia per Plateas cum pompa circumferatur in aliis etiam feſtis extra ſolemnitatem Corporis Chriſti.

I. CUM multa magna, præclara, ac ſapientiæ plena in Averſana Synodo, quæ Anno MDCCII. habita eſt ab Eminentiſſimo Cardinali D. Innico Caracciolo, conſtituta ſunt, tùm tres illæ conſtitutiones, quibus, ſupplicationum, quæ in feſto & per Octavam Corporis Chriſti haberi ſolent, ratio, ac modus præſcribitur, eam præferunt pietatem, atque Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Sanctimoniam, ut nihil iis excellentius fieri, aut præclarius excogitari poſſe videatur. ſive enim cum aliorum Conciliorum

rum conſtitutionibus, ſive cum optimorum virorum placitis, ſive cum Summorum Pontificum decretis conferantur, mirum in modum cum illis conſpirare, & convenire deprehenduntur. Eorum duæ, quæ ad hoc caput ſpectant, ita ſe habent: *prima pag. 54. num. 24. Proceſſiones etiam, & Solemnia Corporis Chriſti, ne ab Eccleſiarum aliarum contemporali more diſſideant, tam in Civitate, quam in tota Diœceſi, extra octavam feſtivitatis ejuſdem peragi prorſus prohibemus, ſed ubique intra ipſam octavam expediantur. Quod Parochi omninò adimpleri curabunt ſub pœnis ad noſtrum arbitrium.* Altera, pagin. 139. num 9. *Excepta Proceſſione, quæ fit in feſto, & per Octavam Corporis Chriſti, nemo quavis ex cauſa præſumat Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum extra Eccleſiam Proceſſionaliter deferre. Sed tantum in tertia quaque menſis Dominica Parochis per Eccleſiam Parochialem, vel circa ejus ambitum id facere ſit permiſſum.*

II. Harum Conſtitutionum Explicationi illud primum prævertendum arbitror, & quaſi fundamenti loco ponendum; ſemper in Eccleſia fidei dogmata rata, & fixa fuiſſe, nulli umquam obnoxia mutationi; Eccleſiaſticos verò

ritus,

ritus, & disciplinam, temporarias habuisse mutationes, ac pro locorum varietate sæpè variari; quam in rem optimè Tertulliani illa quadrant verba ex Libro de Velandis Virginibus Capite I. *Regula quidem fidei una omnino est, sola, immobilis irreformabilis, ... Cætera jam disciplinæ, & Conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet, & proficiente usque in finem gratia Dei.* Harum disciplinæ varietatum, ac mutationum innumera occurrunt ubique exempla. Sed quid in hujusmodi rebus præstandum sit, docet S. Augustinus *Epist.* CXVIII. *ad Januarium*, ubi de Quotidiana Communione disceptationem his decidit verbis: *Alii quotidie communicant Corpori, & Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, & Dominico. alibi tantum Dominico; totum hoc genus rerum liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesia, ad quam fortè devenerit; Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur societate, servandum*, quibus ex verbis

di-

discimus, totum hoc genus rerum ἀδιαφόρων ad disciplinam pertinentium, liberas quidem habere observationes; ea tamen lege, ut eo modo quisque agat, quo agere viderit Ecclesia, ubi degit: in quo sanè semper inducta moribus consuetudo servanda est. ut enim Dio Chrysostomus auctor est Orat. περὶ ἔθους. Mos est jus voluntarium, & quidem omnibus acceptum. Ἔστι δὲ τὸ ἔθος γνώμη μὲν τῶν χρωμένων κοινὴ, νόμος δ' ἄγραφος ἔθνους, ἢ πόλεως, δίκαιον δὲ ἑκάσιον, καὶ τοῦτο πᾶσιν ἀρέσκον. εὕρεμα δ' ἀνθρώπων ἑδενὸς, ἀλλὰ βίου καὶ χρόνου. i. e. *Mos est communis eorum, qui utuntur sententia. Lex non scripta gentis, aut Civitatis, jus voluntarium, & quidem omnibus acceptum, nullius hominum inventum, sed vitæ, & temporis.* Quapropter, etsi diversos alterius Ecclesiæ ritus, ac disciplinam, calumniari minimè deceat, quoniam liberæ sunt harum rerum observationes; illa verò ita indifferenter habere, ut in una eademque Ecclesia, alii alio se gerant pacto, & externam adsciscant disciplinam, nec loco, nec tempori congruentem, prudentis non est Christiani. Quò respexit Synodalis constitutio iis verbis: *ne ab Ecclesiarum aliarum contemporali more dissideant.*

III. His ita constitutis, videndum jam est, an expe-

expediat, publicam, ſolemnemque Corporis Chriſti per Parœciæ limites circumgeſtationem, pluries in anno inſtitui extra illius ſolemnitatis Octavam, quibuſque rationibus id in Synodali conſtitutione prohibeatur. Et ſanè minimè expedire tenendum eſt. primùm quidem, quia hujuſmodi Supplicatio inſtituta fuit, ut eſſet quaſi additamentum ad Corporis Chriſti Solemnitatem: non eſt igitur ad alia feſta, transferenda; cæteroquin nulla adeſſet Solemnitatum differentia, nulla rituum diſcretio, nullus ſolemniorum dierum magnificentior apparatus. Æſopica enim illa rana, quòd bovem ſe plus æquo inflans imitari ſtuduit, rupto jacuit corpore; nec alio nomine vapulat apud Martialem Otacilius. *Lib. X. Epigr.* 79. Res enim quælibet eo laudabilior eſt, quò tempori, & loco, aptior conventiorque exiſtimatur, ac quod de Poëmate præſcripſit Horatius, id mea quidem ſententia, latiſſimè patet, ſemperque danda opera eſt, uti rei cujuſque pes, & caput uni reddatur formæ, ac maximoperè cavendum, ne

Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Ex eo enim deformitas exiſtit, quæ in omnibus actionibus, præcipuè verò ſacris, pruden-

ti vitio eſt vitanda; non ſecus ac Pictori, a quo ita colores variantur, ut tamen humano capiti equinam cervicem non jungat, nec

Delfinum Sylvis appingat, fluctibus aprum.

IV. Quod verò alienum eſt a Sanctorum feſtis Euchariſtiæ circumgeſtatio, liquet ex fine, quo ea Proceſſio inſtituta eſt, nimirum Chriſti Domini triumphus, & parta de morte victoria repræſentatur; ut eo triumpho Chriſtiani omnes, memores, & gratos teſtantur animos erga Divinum Redemptorem: utque eo pacto victrix veritas de mendacio, & hæreſi triumphum agat, ut tandem Euchariſtiæ adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta Univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant. Hæ quidem ſunt cauſæ, cur ea Proceſſio inſtituta eſt, atque a Tridentino Concilio referuntur *Seſſ.* XIII. *cap.* 5. quid autem hic commune eſt cum Sanctorum ſolemnitatibus? quid cum novendiali defunctorum prece? In anniverſariis Martyrum ſolemnitatibus, illorum nobis proponuntur ſequenda veſtigia, ut eorumdem glorioſo agone ob oculos poſito, invictam patientiam imitemur: In Euchariſtiæ verò circumgeſtatione grati animi

elu-

elucet ſignificatio, cum de hæreſi triumpho conjuncta. Hæc inter ſe diverſa, & aliena, diverſas quoque, ſtatasque ſolemnitates ab Eccleſia obtinuere. quo reſpexit Tridentina Synodus, illis verbis: *ut ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc, & Venerabile Sacramentum ſingulari veneratione, ac ſolemnitate celebraretur.* Jam verò ſi paſſim, ſi ubicumque, & quandocumque ſit libitum, ſi in Sanctorum quoque feſtis Euchariſtica per Urbes pompa circumferretur, non amplius peculiari feſto, non amplius ſingulari veneratione, ac ſolemnitate; ſed promiſcua, & cum aliis communi coleretur.

V. Quod cum probè noſſet, & penitiores Sacroſancti Concilii ſenſus optimè calleret Cardinalis Cuſanus Legatus a Latere in Germaniam, inter alia, quæ ſcitè admodùm ibi conſtituit, hoc caviſſe fertur, ne Sacroſancta Euchariſtia in publicum efferretur, niſi infra Octavam ejus ſolemnitatis. *His temporibus* (inquit Albertus Crantzius Decanus Hamburgenſis Eccleſiæ, in Eccleſiaſtica Saxoniæ Hiſtoria) *memorandus dius vir Dominus Nicolaus de Cuſa Cardinalis, de Latere Legatus venit in Germaniam, & multa in Provinciis conſtituit,*

quæ ſi obſervarentur, melius ſe in pleriſque res haberent; Literæ ſervantur in Archivis Eccleſiarum: Hoc ſatis eſſe putant; Cæterum in executione operis nihil apparet. Fertur idem inter alia ſalubria conſtituiſſe de Venerabili Euchariſtia, cujus erat tunc, ut nunc quidam abuſus, cum in publicum deferretur in diebus Jovis per anni circulum. Res, ut prima fronte prætenditur, devotioni parata; ſed, ut evidenter claruit, per crebram ejus oſtentationem vileſcente, quæ ſemper ardens, & ſumma eſſe debuit, reverentia. Conſtituit ergo, ut non in publicum efferretur, niſi infra Octavam Feſtivitatis inſtitutæ ad honorem SS. Euchariſtiæ. Præſertim quia uſus ejus a cœleſti Magiſtro inſtitutus eſt ad eſum, non ad oſtentationem. ſunt enim pleraque inter homines, quorum initia ſalutaria ſunt, ſed progreſſus non ita. Quæ Crantzii verba ideò hic integra excripta ſunt, quia rationes, & cauſas quoque aperiunt Cuſanæ illius Conſtitutionis, quarum præcipua eſt, ne debita Euchariſtiæ reverentia vileſcat, præſertim ſi populus non tam orandi, quam ſpectandi cauſa confluat. Quapropter Epiſcopi Belgii, in ſuis quiſque Synodis vetuere: ne in Proceſſionibus; quas *Dedicationum* vocant,

oant; Venerabile Sacramentum circumferatur: eò quod ad hujuſmodi Proceſſiones, populus magis ſpectandi, quam orandi Cauſa, accedere ſoleat. Conſentit & Mechlinienſis Synodus *Prov. I. & II.* ubi præcipiens, ut extra Feſtum Corporis Chriſti, ejuſque Octavam rarius, & nonniſi in arduis cauſis pacis, & publicæ neceſſitatis, vel utilitatis Venerabile in Proceſſionibus circumferatur, hanc affert rationem: *ne nimia frequentia minuat reverentiam*, his verbis: *Sacroſancta Euchariſtia piè & utiliter ad Populi devotionem, interdum in publicis ſupplicationibus defertur; potiſſimùm verò in Feſto Sacro Chriſti Corpori conſecrato, ejuſque octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & nonniſi in arduis cauſis pacis, & publicæ neceſſitatis, vel utilitatis. In illis autem Proceſſionibus, ad quas populus conſuevit, non tam orandi, quam ſpectandi gratia confluere, abſtineatur. in communibus autem ſupplicationibus circumgeſtari poterunt Sanctorum reliquiæ.* Eccleſia quoque Iprenſis anno MDCXXIX. hujuſmodi edidit Decretum: *Conſuetudinem quorumdam locorum, deferendi paſſim in omnibus Proceſſionibus Sacramentum, abrogari cupimus.*

Qua-

Quarum Synodalium Conſtitutionum ea potiſſimùm a Viris in Canonico jure exercitatis affertur Cauſa, ne ſcilicet nimia frequentia minuat reverentiam, atque omninò Prudentibus viſum eſt Terentianum illud apprimè in vita eſſe utile, *ut ne quid nimis*. Unde illud eſt in Anthologia.

Τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει.

Illud enim ne quid nimis, nimis me juvat.

Idque non de iis tantum rebus quæ doloris quippiam, aut moleſtiæ afferunt; ſed etiam, quæ voluptatem creant, animum oblectant, & in maximo apud nos ſunt pretio. Quid melle dulcius? quid eo antiquis ſapidius? quibus advectum ex India non dum erat Saccarum; & tamen ut de eo comedamus, quod ſufficit, monet nos Salomon *Proverb.* xxv. *com.* 16. Hinc illud eſt adagium apud Suidam: γλυκὺ μέλι ἐ πνίξαι: *etiam mel dulce ſuffocat.* & illud rursùs ex Anthologia diſtichon:

Πᾶν τὸ περισσὸν ἄκαιρον, ὅθεν λόγος ἐστὶ παλαιός,
Αὐτῆς ἐ μέλιτος τὸ πλέον, ἐστὶ χολή.

Omne ſuperfluum intempeſtivum, ut vetus eſt ſermo,
Ipſius etiam mellis repletio, fit bilis.

Ad animi verò oblectationem quid Philoſophia validius? quid jucundius? Ennianus tamen

Neopto-

Neoptolemus præcipit: *Philoſophandum eſt paucis, nam omninò haud placet. Quo*, ut exponit A. Gellus *Lib. I. Noct. Actic. cap. 16. Deguſtandum ex philoſophia cenſuit, non in eam ingurgitandum*, & admodum facetè ad rem Martialis:

Quisquis plus juſto non ſapit, ille ſapit.

VI. Præterea Quod rarum eſt in pretio haberi ſolet; unde apud Hebræos eodem vocabulo *Pretioſum*, & *rarum* ſignificatur. ut *Proverbiorum* XXV. *com.* 17. *Pretioſum fac pedem tuum*, Hebraicè הַקֶּר רַגְלֶךָ *hoqar raglecha* i. e. *rarum fac pedem tuum*. hinc vertunt Oi LXX. σπάνιον εἶναι τὸν πόδα. *rarò infer pedem tuum*. quod nihil aliud eſt, quàm continere, ſeu prohibere pedem ne frequentet domum proximi. Ideo Chaldæus vertit כלח *Kelehh, prohibe*. Symmachus ὑπόστειλον: *ſubtrahe*. quod ſecutus vulgatæ editionis Auctor ait: *ſubtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando ſatiatus oderit te*. Quam interpretationem confirmat R. Kimchi in Zachariam, & Pagninus. Admonet verò Cajetanus documentum hujus parabolæ commendandum memoriæ, ut homo non ingerat faſtidium frequenter eundo ad aliquem: quo reſpexiſſe videtur Martialis: *Nul-*

Nulli te facias nimis ſodalem :
Gaudebis minus, & minus dolebis.

VII. Cœterùm allata ſuperiùs Scripturæ verba, ad eos, qui irreverenter nimis crebrò ad Sacram Euchariſtiam accedunt, poſſe protrahi, docent Baynus, & Janſenius. Ego verò multò commodiùs ad eos extendi poſſe arbitror, qui leviſſima quaque de cauſa, Euchariſtiam extra præſcriptum ab Eccleſia tempus, per plateas circumferunt; ex quo fit ut nimia frequentia minuat reverentiam. Eadem ratione Conſulum Proceſſionibus, ideſt Ludis, & ſpectaculis, quæ Populo a Conſulibus exhibebantur, modus præſcribitur in *Novell.* cv. *cap.* 1. caveturque *ne alia mappa inveniatur, duoque continuentur, quæ vocantur Theatroquinegia : ſiquidem ſtatutis ſpectaculis contentos non eſſe; palam eſt, quia nihil novi ultra id, quod priùs agitur, habet; ſufficere itaque ritè cauſa putabitur : & ſingulæ dantur clarè, & non in tantùm, ut jam Populo etiam odibile ſit. in iis enim, quæ rarò fiunt, miraculum eſt.* ἐν τοῖς σπανίως γινομένοις τὸ θαυμαζόμενον ἐστὶ. Rarò quæ accidunt magis miramur : quotidiana negligimus Juvenalis *Satyr.* XI. *verſ.* 206.

Face-

.... Facere hoc non poſſis, quinque diebus
Continuis. Quia ſunt talis quoque tædia vitæ
Magna; voluptates commendat rarior uſus.

Quòd ſi etiam in iis, quæ voluptatem afferunt rarior uſus commendatur, propterea quod crebra talium rerum uſurpatio, etiam tædio afficit; quid de iis rebus dicendum eſt, quæ ex humanii ingenii pravitate minùs jucunda hominibus acciduntᵉ *carnalis enim homo non intelligit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*, ut ait Apoſtolus. Quod ſi dicas hæc non rectè in Divina quadrare, ut ab omni vitiorum genere libera, ac ſummè perfectiſſima: reſpondeo, id non ipſarum rerum vitio, ſed hominum culpa accidere. Unde S. Auguſtinus *Tract.* XXIV. *in Joannem* ait: *Miracula, quæ fecit Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſunt quidem Divina opera, & ad intelligendum Deum de viſibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non eſt talis ſubſtantia, quæ videri oculis poſſit; & miracula ejus quibus totum mundum regit, univerſamque creaturam adminiſtrat, aſſiduitate viluerunt, ita ut penè nemo dignetur attendere opera Dei mira, & ſtupenda in quolibet ſeminis grano. ſecundum ipſam ſuam miſericordiam ſervavit ſibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter uſitatum*

nere. Comonit. cap. 20. propterea quòd ut idem alibi admonet: *Quodcumque in Eccleſiæ Dei agricultura fide Patrum ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtria decet, excolatur, & obſervetur. Comonit. cap.* 29. Ac licet, quòd multis ante ſeculis dixit Homerus, hoc etiam nùm verum experiamur: Cantilenas novas eſſe plebi veteribus gratiores, & acceptiores. *Odyſſ. α. v.* 351.

Τλῶ γὰρ ἀοιδῶ μᾶλλον ἐπικλείστ' ἀνθρώποις,
Ἥτις ἀκροῶντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται:

ab hac tamen vulgi opinione optimus quiſque ſemper abhorruit. Quod idem Vincentius in 1. *Commonit. cap.* 9. *advertit* his verbis: *Mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, ut quo quiſque foret religioſior, eò promtius novellis adinventionibus contrairet.*

VIII. Quæ hactenus de Euchariſtia rarò admodum, & nonniſi ſemel in anno, infra ejus ſolemnitatis Octavam, circumferenda, dicta ſunt; de ea intelligi debent ſupplicatione, qua Venerabile hoc Sacramentum per omnes, vel certè frequentiores Urbium, Oppidorumque vias maxima cum ſolemnitate circumfertur. Nam de ea, quæ intra Eccleſiæ ambitum inſtituitur, aliud extat Synodale decretum his conceptum verbis: *pag.* 54. *num.* 23. *Ut laus,*

& jubilatio , Euchariſtico huic Sacramento a cunctis debita , flagranſque erga ipſum devotio jugiter in cordibus fidelium augeatur , illud in omnibus , & ſingulis Parochiis , tum Civitatis , tùm Diœceſis , Dominica tertia cujuslibet menſis per Eccleſiæ ambitum Proceſſionali honorificentia circumduci Parochis , cæteriſque , ad quos ſpectat , ſub pœna ad noſtrum arbitrium , expreſsè mandamus. Præcipitur enim uti ſingulis menſibus hujuſmodi Proceſſio inſtituatur ; ea potiſſimum de cauſa , ut debitus Euchariſtiæ honor , & ardens in illam ſtudium in fidelium cordibus augeatur. Menſtruæ hujus Proceſſionis meminit in Aurelianenſis Eccleſiæ Hiſtoria Carolus Sauſſejus *Lib.* xv. *cap.* 3. *Maturinus die decima nona Octobris laudat indulgentias a Reverendiſſimo Cardinale Trivultio Pauli IV. Papæ a Latere ad Sereniſſimum Regem Henricum Legato , Confraternitati SS. Sacramenti , in Eccleſia S. Petri in ſemitalæta hujus Civitatis , inſtitutæ collatas , ejuſque inſtitutum ſummo ſtudio approbat , per quod ſingulis primis diebus Dominicis cujuslibet menſis anni , poſt Veſperarum expletum officium , fit prædicatio ſolemnis de Euchariſtiæ Sacramento. „ Qua facta , ut acta „ loquuntur , proceſſionaliter defertur Euchariſtiæ*

Sa-

„ *Sacramentum per circuitum Ecclesiæ intra illam ,*
„ *qua magna populi multitudo cum tædis , cereis ,*
„ *& candelis , magna devotione confluit . Datum*
„ *Moreti , Diœcesis Lenonensis nono Kalendas Apri-*
„ *lis . Quæ adnotare libuit , ut mos , qui inde in alias*
Parœcias similis observationis inolevit per Urbem,
& Diœcesim laudatus ab Apostolica Sede , & a
nostris Episcopis comprobatus adversantium ca-
lumniis superior augescat majori in dies erga Au-
gustissimum Eucharistiæ Sacramentum devotione,
& ad posteros felicissimè transferatur. hactenus ille. Earundem menstruarum Processionum meminit S. Carolus Borromejus in sua Synodo ad titulum de pertinentibus ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum : ibi : *Canonici singuli , & qui dignitatem obtinent , cum Processiones publicas , illam præsertim solemnem , quæ in celebritate sacræ diei Corporis Domini agitur , atque alias item in portando Sanctissimo Sacramento singulis mensibus constitutas , obeunt , intortitium accensum in manibus , capite aperto , ferant .* Ad hujusmodi quoque Processiones quibuslibet mensibus obeundas , adegit Confraternitates Sanctissimi Sacramenti Cardinalis Paleotus Archiepiscopus Bononiensis , atque in Libro Rituali ejus Ecclesiæ ita præscripsit : *Infra an-*

aut etiam poſt Expoſitionem quadraginta horarum, ut præcipitur in Edicto Clementis Papæ XI. apud Monacelli *Tom. II.* in cujus Edicti *num.* 14. hæc habentur: *La Proceſſione ſi farà dentro la Chieſa, o al più per la Piazza, quando l'anguſtia della Chieſa ne porti la neceſſità.* & Jacobus Pignatelli *Tom. IX. Conſultatione* 90. de Menſtruis hiſce Proceſſionibus agens, ait: *Queſta ſe la Chieſa è Capace non deve uſcir fuori di Chieſa, e ſe deve uſcire non s'allontani molto dalle mura di eſſa.*

CA-

CAPUT SEXTUM

An cum Eucharistia in Processione, aut Expositione ritè conjungantur Sanctorum Reliquiæ, aut Imagines.

I. HOC etiam, cum Sanctissimo scilicet Eucharistiæ Sacramento reliquias, vel Statuas deferre ex earum rerum genere est, quæ ἀδιάφοραι nuncupantur; & aliqua potest subesse causa, cur improbandum non sit; nimirum si antiqua inveniatur receptum consuetudine, a qua non est recedendum, ut enim ait Dio Chrysostomus Orat. περὶ ἔθους. Τῶν μὲν ἄλλων νόμων ἕκας@ ἅπαξ δοκιμασθεὶς ἔλαβε τὸ ἰσχὺ τὸ δ' ἔθ@ ἀεὶ δοκιμάζεται. i. e. *aliarum legum singulæ semel approbatæ vim obtinent, mos semper approbatur.* Quandoquidem, ut eadem oratione advertit, *Lex scripta cum potestate tyrannica comparari potest, eo quod omnia injecto metu, & cum mandatis exequitur, mos autem magis ad regiam humanitatem accedit, sponte enim omnes, citra necessitatem utuntur.* τὸ δ' ἔθ@ μᾶλλον τῇ φιλανθρωπίᾳ τῆς βασιλείας (προσεικάζεται) βιλόμενοι γὰς ἀυτῷ πάντες, ⊂ δίχα ἀνάγκης ὁίονται. Unde Christianus Lupus tuetur vetustissimam Germaniæ consuetudinem deferendi imagi-

nes

nes cum Euchariſtia abrogandam non eſſe propterea quod, cum in ea regione Lutheriani, & Calviniani ſint Catholicis aut admixti, aut contermini, fidelis Populus ſcandalum, Hæretici majorem calumniarum anſam nanciſcerentur, ſi ſacræ Imagines, aut reliquiæ contra vetuſtiſſimam conſuetudinem ab hujuſmodi Proceſſionibus arcerentur. Etenim ut egregiè ait S. Auguſtinus: *ipſa quoque mutatio Conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione inſructuoſa conſequenter noxia eſt.* Et Sanctus Hieronymus hujus veritatis doctrinam graviori ſententia comprobare non potuit, quam cum præcepit, *ut quævis Eccleſia antiquas Conſuetudines veneretur, ac tueatur tamquam traditiones Apoſtolicas*; idcircò Sanctus Bernardus inter Lugdunenſis Eccleſiæ laudes ponit, quod *Lugdunenſis Eccleſia non admittit novitates.*

Sed ut ad id, quo de agitur, redeam, advertendum eſt in Italia, & innumeris aliis Provinciis hanc extare Conſuetudinem, & forſan contraria laudabiliorem; ne unquam in Expoſitione Euchariſtiæ Sanctorum Reliquiæ, aut Imagines aſſocientur, neve in

ejuſdem Proceſſionibus deferantur. Extat hac de re Clementis PP. XI. edictum apud Monacelli *Tomo II.* ubi ait: *Sopra l' Altare non ſi pongano Reliquie de' Santi, o Statue de' medeſimi, e molto meno vi ſi pongano figure dell' Anime del Purgatorio di qualsiſia materia, il che ſi probibiſce anco in tutte l' Eſpoſitioni particolari, ed in quelle, che tal volta ſi fanno per ſuffragio di quelle Anime.* Superius vero jam præceperat, in hæc verba: *Che ſi copra l' Imagine, o Statua dell' Altare, ove s' eſpone.* Neminem latere arbitror qua morum probitate, qua doctrinæ præſtantia, qua ſanctitate fuerit is Pontifex, quam Chriſtianæ antiquitatis ſtudioſus, quam ſacrorum rituum obſervantiſſimus, teſtes ſunt ejus editæ in lucem Homiliæ, Conſiſtoriales Orationes, & hoc genus alia literarum monumenta duobus ſatis amplis voluminibus comprehenſa. is tamen ab Expoſitione Euchariſtiæ removet Sanctorum Reliquias, Imagines, Statuas, & ulterius progreſſus præcipit uti ipſiuſmet Altaris Imago, aut Statua obnubatur. Quemadmodum enim orto Sole Stellæ diffugiunt, ita expoſito Chriſto Domino, qui Sol eſt juſtitiæ, diffugiunt quoque Reliquiæ, & Imagi-

gines Sanctorum, qui ſunt in Cœlis quaſi Stellæ fulgentes in perpetuas æternitates. Quapropter Jacobus Pignatelli Sacrorum rituum peritiſſimus, in Ceremoniali inſtitutione circa cultum Euchariſtiæ, ab ejus Proceſſione Sanctorum Reliquias ablegat *Tomo IX. Conſult. 90. num. 75.*

Porrò quod ad Proceſſionem, extat Sancti Caroli Borromeji decretum in Concil. Mediolan. IV. *parte II. cap.* 4. ubi ait: *in ſolemni illa Proceſſione in qua Sanctiſſimi Domini Corpus per Urbem religioſo cultu defertur, ne reliquiæ ullæ, ſed illud ſolum; ut veteris inſtituti, Eccleſiæque Romanæ matris Conſuetudinis eſt, pio, religioſoque apparatu ſolemni celebritate feratur.* Is igitur Vir excellenti ſanctimonia præditus, Sacrorum rituum ſtudioſiſſimus, Canonici juris peritiſsimus, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſcientiſsimus, qui in Synodalibus decretis conſtituendis doctiſsimorum virorum Opera uſus eſt, præterquam quod prohibet, quo minus Sanctorum Reliquiæ in ea Proceſſione deferantur; aſſerit præterea, id eſſe Veteris inſtituti, & Romanæ Eccleſiæ conſuetudinis. Quem ſecutus Maximilianus Henricus Archiepiſcopus Colonienſis Anno MDCLI.

decrevit, *Quod tametsi pium, & laudabile ſit ut in communibus Proceſſionibus, & ſupplicationibus, & ſtationibus deportentur Sanctorum (ſi quæ in Eccleſiis habentur) reliquiæ, vel ſola Imago Divi loci Titularis, in eis tamen Proceſſionibus, & ſupplicationibus, ubi Sacramentum circumfertur, nullæ meritò Sanctorum vel Imagines, vel Statuæ juxta S. Caroli Borromeji præſcriptum (niſi pia multorum locorum conſuetudo aliud poſtulet,) deportentur.* Ex quo ſatis liquet laudatum Archiepiſcopum in animo habuiſſe quidem, ut ad Sancti Caroli præſcriptum cum Venerabili Sacramento Sanctorum Imagines, non deferantur; aliquid tamen conſuetudini conceſſiſſe S. Auguſtini monitis inhærendo; ita tamen, ut ſibi integrum eſſet judicare, num ea conſuetudo veram Populi devotionem non impediat, nec ejus erga Sanctiſſimum Sacramentum reverentiam potiùs diminuat, quam promoveat. Idem ſtatuit Synodus Namurcenſis Anno MDCXXXIX. *Quando continget Venerabile Sacramentum deferri, nullæ aliæ Reliquiæ, vel Imagines Sanctorum deferantur.* In hac verò materia ab Epiſcopi decreto non eſt recedendum. Unde S. Auguſtinus ait: *Epiſcopo tuo in hac re no-*

re noli reſiſtere , & quod facit ipſe , ſine ullo ſcrupulo vel diſceptatione ſectare . Et ſanè , ut rectè advertit Van-Eſpen *Par. I. Tit.* XVI. *cap.* 9. *num.* 14. Si Epiſcopus videat eam eſſe Populi ſui circa aliquas Sanctorum Imagines , aut Reliquias inordinatam devotionem , ut ex externo agendi modo ſat. appareat , honorem Sanctiſſimo Sacramento debitum , ad Sanctorum Imagines potius , quam ad ipſum Venerabile deferri , poterit Epiſcopus præcipere ne cum ipſo Venerabili Sanctorum Imagines , aut reliquiæ circumferantur . Atque utinam tanta fidelis Populus polleret divinarum rerum peritia , ut quid Latriæ , quid Hyperduliæ , & Duliæ cultus , & cui deferendus ſit , poſſet diſcernere . quomodo moderanda ſit relativa illa Imaginum Sacrarum adoratio , quæ etiam num Theologorum torquet ingenia . Quia verò

Segnius irritant animos demiſſa per aures ,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus .

Sæpè fit , uti majori cultu , ac veneratione Sanctorum Statuas proſequantur , quòd earum adſpectu intimo quodam animi motu afficiuntur , quam præſtantiſsimum hoc Sacra-

cramentum, ad cujus cultum, ac veneratio-
nem non corporata aliqua Imagine, aut
ſigno, ſed fide excitantur, quæ etiam
contra ipſos ſenſus nititur, adeo ut
præſtet fides ſupplementum ſenſuum
defectui. quod quam diffi-
cile rudi Populo ſit,
neminem fugit.

CAPUT ULTIMUM

De publica Euchariſtiæ Expoſitione, ejuſque Origine.

I. POST brevem de Sacris Euchariſtiæ ſupplicationibus explanationem, operæ pretium erit quędam de ejusdem Expoſitione ſubjungere. Eam vero a publica ejuſdem circumgeſtatione originem ſumſiſſe, eſt per quam veriſimillimum. Cum enim uſus obtinuiſſet Sacroſanctum Chriſti Corpus per oppida proſpiciendum, adorandumque circumferendi, haud incongruum viſum eſt illud quoque in Altari, aliove editiori loco, extra Proceſſionis tempus ſub omnium conſpectum exponere; idque primùm Divinorum officiorum tempore, tum potiſſimum in Feſto Corporis Chriſti, & per ejuſdem octavam; deinde in aliis ſolemnitatibus; ut ſenſim ad eam, quæ noſtra memoria obtinet, diſciplinam, deventum ſit.

II. Et quamvis hujuſmodi ritus recentior ſit, & nonniſi trecentis fermè ab hinc annis uſurpari cœperit (antequam enim Corporis Chriſti pro-

ſti proceſſio inſtitueretur, nullibi legitur, omnium oculis expoſitum fuiſſe; imò a cathechumenorum, & pœnitentium proſpectu ſubductum fuiſſe, atque oſtenſoriorum uſum, quibuſcum Expoſitionis origo conjungitur, ad Annum MCCCCLII. revocari, in confeſſo ſit;) eum tamen nihil ipſius Euchariſtiæ inſtitutioni, aut Catholicæ fidei adverſum continere, atque adeo legitimum ejus uſum ex uno ipſius fidei capite probari, perſpicuum eſt. Dato enim Chriſtum Dominum in Euchariſtiæ Sacramento revera eſſe, conſequens jam eſt ipſum ſub panis, ac vini ſpeciebus latentem Latriæ cultu adorari poſſe. Vidit id Theodorus Beza Calvinianus *Lib. V. de Cœna Domini* contra Veſtphalum Lutherianum, ubi inquit: *illud præ cæteris demiror, quod adorationem iſtam liberam relinquas, qui tamen Chriſtum reipſa corporaliter, ut in Cœlis, cum pane adeſſe, dari, & ſumi fatearis. id enim ſi ità crederem, adorationem illius profectò non modo tolerabilem, & religioſam, ſed etiam neceſſariam arbitrarer.* Quapropter Tridentina Synodus *Seſſ.* 13. *de Euchariſtia*, cum *capite* 4. aſſeruiſſet realem Chriſti præſentiam in Sacramento, tamquam conſequens

infert

infert 5. *nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſtifideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant.*

III. Cæterum in hac Expoſitione maximoperè cavendum eſt, ne ejus frequentia minuat reverentiam; quam in rem, præter ea, quæ capite V. allata ſunt, egregium extat S. Caroli Borromeji decretum in Synodo Diœceſana XI. his verbis: *Sanctiſſima Euchariſtia ne quavis cauſa, ſed publica tantummodo, eaque gravi exponatur*; & rursùs in Inſtructionibus Sacramentalibus, Titulo de Exponenda Sacra Euchariſtia in Oratione quadraginta horarum ſtatuit; *Coram Sanctiſſima Euchariſtia oratio quadraginta horarum in Eccleſiis fiat, ubi Archiepiſcopus ſtatuerit, & quando id conceſſerit. ne quavis cauſa tamen Euchariſtia palam, & apertè exponatur, ſed publica tantummodo, eaque gravi; aliis verò de cauſis Orationem licebit inſtituere, ſed non Sacramento apertè expoſito.*

IV. Plura Synodorum, atque Epiſcoporum decreta, quibus publica Euchariſtiæ expoſi-

tio ad cauſam publicam per Epiſcopum approbandam revocatur, videre licet apud Jo: Baptiſtam Thiers *Lib. II. cap.* 5. ubi Joannis Gropperi Archiepiſcopi Colonienſis de frequentiori Euchariſtiæ Expoſitione querelam, his verbis exſcribit: *Venerabile Sacramentum in proceſſionibus nimis crebrò circumfertur, & Populo plus nimio, & plerumque palam ſpectandum exhibetur. hæc præterquam quod piis, & Deum timentibus non probentur; hæretici, & improbi, quique offendicula inde naſcentia ad ſuas hæreſes, & improbitates ſtabiliendas, ac tuendas arripiunt.* poſt hæc concludit; *Utinam Deus ea corrigat, iiſque, ut ea corrigant, inſpiret, qui ex ratione functionis ſuæ corrigere jure obligantur.*

V. Non abſimilis eſt Joannis Van-Eſpen querimonia, qui poſt nonnulla, quæ ad hoc argumentum ex penitiori eruditione depromit; ità demùm concludit: *Part. II. Tit. IV. cap. 5. num. 22. Ex hac frequentia, quam exigua ſit populi in conſpectu Venerabilis devotio, & reverentia, atque exterior religionis cultus, omnibus notum eſt.* advertitque nu-

me-

mero 23. Sanctum Carolum non cenſuiſſe Sacram Euchariſtiam Populo exponendam eſſe in omni quadraginta horarum Oratione. Aſſeritque ex Thierſio *Lib. III. cap.* 9. antea non fuiſſe in more poſitum, ut in ſimili Oratione publicè Euchariſtia exponeretur, tametſi ex cauſa publica ea fuerit Oratio inſtituta.

VI. Quouſque verò progredi hac in re liceat, quique adhibendus ſit modus, ne nimia frequentia minuat reverentiam, Jacobi Pignatelli mihi arridet opinio, qui Conſultatione 79. *num.* 12. *Tomo IX. definit*, ſatis eſſe, ſi in Parochiali Eccleſia per Parochum, vel per Confraternitatem Sanctiſſimi Sacramenti ad id in ea inſtitutam fiat ſingulis tertiis Dominicis cujuſque menſis, in locis præſertim, & oppidis habitantibus non frequentiſſimis, neque committendum eſſe, uti in Oratoriis, vel Eccleſiis non Parochialibus, hujuſmodi Expoſitio inſtituatur: Ex S. Caroli præſcripto, qui in Concilio Mediolanenſi VII. Titulo de Societatibus ſtatuit, *ut in iis tantùm Eccleſiis ſive Secularibus, ſive Regularibus Euchariſtiæ Expoſitio fiat, in*

quibus Sanctiſſimum Sacramentum aſſervatur. Illud enim Sanctiſſimus Præſul cavendum ſibi ducebat, ne harum, aut ſimilium Orationum occaſione Populus a Parochiali Eccleſia diverteretur. Quare in Concilio Mediol. IV. *parte* 2. *Tit.* 18. *ſanxit*, ut, *quo tempore in Baſilica, Cathedrali, Eccleſiave Parochiali Officium Veſperarum celebraretur, tunc ne in ullis Confraternitatis, Scholæque Oratoriis, Civitatis, aut loci illius, ab eiſdem Confratribus recitari liceat officia, ſed vel ante, vel poſt recitentur: ita tamen ut non ſolum hujuſmodi Officiorum occaſione non divertantur illi a Divinis Officiis publicis, ſed nec etiam a Scholis Doctrinæ Chriſtianæ, &c.* Simile edidit decretum Concilium Toloſanum Anno MDXC. *parte* 3. *cap.* 7. ſtatuens, ut, *Quo tempore Dominicis, feſtiſque diebus divina Officia recitantur, Sacra Miſſarum ſolemnia canta celebrantur, Concioneſque aut in Cathedrali, aut Parochiali Eccleſia publicè habentur, eo tempore nullæ in Confraternitatibus Ceremoniæ, nulla Sacra peragantur.* Patres quoque Concilii Avenionenſis Anno MDXCIV. capite 52. decrevere, *ut Miſſæ, cæteraque*

officia

officia divina in Confraternitatibus celebrentur, ut Ecclesiarum sacrificia, preces horariæ, concionesque non impediantur. Tandem, ut a recensendis Conciliorum decretis, quæ infinita propemodum sunt, supersedeam, corollarii loco sit, Narbonensis Concilii illud Anno MDCIX. *cap.* 34. *In Cappellis earum Confraternitatum, ubi aliquod recitatur Officium, illud fiat hora competenti, itaut dum Parochiale recitatur, in illis omninò cessetur.*

VII. Quæ omnia Conciliorum decreta, eò tendunt, ut ne Oratoriorum causa, Parochialium Ecclesiarum divina Officia deserantur; sæpissimè quoque usuvenit, ut iis in locis minus ritè, sanctèque Ecclesiasticæ hujusmodi functiones peragantur, quare hac etiam de causa præstat eos in Cathedrali, aut Parochiali Ecclesia obiri, ubi & propter loci amplitudinem, & majorum Clericorum numerum, & magnificentiorem Altarium apparatum, commodiùs, ac decentiùs sacræ ceremoniæ coluntur, quam in Oratoriis.

L A U S D E O.

INDEX

RERUM NOTABILIUM.

A

אַבְרֵךְ ABRECH *quid notat?* 9.
Ab Episcopis Eucharistia in Enclopio gestabatur. 42.
Ad Infirmos Eucharistia deferebatur. 38.
Ambarvalia sacra. 12.
Apud Græcos Eucharistia nunquam in Processionibus delata. 44.
Apum artificium. 5.
Arcu fœderis cum pompa ducebatur. 13.
Auctor solemnis Eucharistiæ Processionis ignoratur. 47. & 48.

B

Benevolentiæ signum Eucharistia erat. 38.

C

Cantilenæ novæ plebi gratiores. 67.
Cardinalis Cusanus vetat crebras Eucharistiæ Processiones. 59.
Cathecumenorum Processio. 30.

Chri-

Christiani, a quibus Gentibus acceperint processiones. 13., & 18.
Circumferebatur olim Eucharistia velo tecta. 16.
Comedere solemnitatem quid sit? 16.
Consuetudo semper retinenda. 72., & 73.
Cultus Numinis processionibus demonstratur. 8.

D

Deferebatur Eucharistia ad Episcopi Oratorium. 40.
Dii cum pompa perlati sunt. 10.
Disciplina Ecclesiæ mutabilis est, & varia. 54., & 55.

E

Episcopi cum Cruce, & Sanctis Evangeliis excepti. 23.
Eucharistia ab Episcopis in Encolpio gestabatur. 42.
- *ad infirmos deferebatur.* 38.
- *apud Græcos nunquam in processionibus delata.* 44.
- *deferebatur ad Episcopi Oratorium.* 40.
- *domi retenta, & quare?* 37.
- *erat benevolentiæ signum.* 38.

ne-

-neceſſariò adoranda. 80.
-olim circumferebatur velo te-
Eta. 52.
-in Oratoriis non exponenda. 83.
-præfertur Summis Pontifici-
bus iter facientibus. 42., & 43.
-publice geſtabatur in Mar-
tyrum ſolemnitatibus. 41.
Euchariſtiæ ſolemnes proceſſiones
ſemel in anno inſtituendæ, &
quando. 57.
-ſolemnis proceſſionis author
ignoratur. 47., & 48.
-ejus proceſſio cæpit ſeculo XIV. 49.
-quibus ex cauſis inſtituan-
tur ejus proceſſiones. 58.
Expoſitio quando permittenda. 81., & 83.
-ejus origo. 79., & 80.

F

FOrmica cur in Bibliis lauda-
tur. 2.

G

GEſtabatur Euchariſtia pu-
blicè in Martyrum ſolemni-
tatibus. 41.

H

Hebræi Hierosolymam confluebant. 15.
Hosanna *quid significat?* 17.

I

Imagines Sanctorum cum Eucharistia non associandæ. 73. & 74.
Isis a Sacerdotibus circumlata. 10.

J

Joseph cum pompa traductus est. 9.

K

Κόσμος *quid notat?* 7.

L

Litania unde dicatur? 28.
Locustæ ordinatè incedunt. 4.
Lugere quid significat apud Jeremiam? 16.

M

Major Litania cur ita dicta. 32.
-ejus origo. 33.
Menstruæ Processiones cur institutæ. 68.
-intra Ecclesiæ ambitum continendæ. 70.
Miraculorum ratio. 65.

N

Nimia frequentia minuit reverentiam. 64.
Nunquam in processionibus Græcorum Eucharistia fuit delata. 44.

O

Ordo argumentum est Divinitatis. 8.
Ostensoriorum usus quando cæpit. 53.

P

Patres ab enunciandis Mysteriis abstinebant. 36.
Populus a Parochiali Ecclesia non avocandus. 84.
Præsanctificatorum usus vetustissimus. 45.
-unde originem ducat. 46. & 47.
Procedere quid? 20.
Precessio fuit argumentum jurisdictionis. 23.
-in sacra Liturgia. 18.
-pro accessu ad Ecclesiam. 19.
-pro Synaxi. 21.
-pro honorifico occursu. ibidem.
-Pentecostalis dicta quid? 22.
Processionis aditus Patronis Ec-

cle-

cleſiarum præſtitus quid ſit? 24. 25. & 26.
-*definitio.* 1.
-*origo.* 2.
-*honor ſummis viris tributus.* 9.
-*idem honor Epiſcopis quoque tributus.* 22.
Proceſſiones nullæ ſub Ethnicis Imperatoribus. 35.
-*quo Eccleſiæ ſeculo cæperint.* 27.
-*unde incrementum ſumpſerint.* 19.
Προσφέρει *quid?* 42.
Pſalmi CXVIII. *artificium.* 17.

Q

Quod rarum eſt, in pretio habetur. 63.
Quotidiana negliguntur. 64.

R

Rogationes. 32. & 33.

S

Sanctorum reliquiæ ab Euchariſtiæ expoſitione ablegantur. 73.
Solemnes Euchariſtiæ proceſſiones ſemel in anno inſtituendæ, & quando. 57.

qui-

quibus ex causis instituantur. 58.
Statuæ cum Eucharistia non circumferendæ. 75.

T

Tensæ quid sint in Circensi pompa? 12.
Trojani gruum Ordinibus comparati. 6.
Triumphi honor Imperatoribus decretus. 10.

V

Voluptas frequens tædio afficit. 65.

U

Usus rarior in rebus commendatur. 66.

FINIS.

VA1
1514580